

B. C.

ONOMASTICON
SACRUM.

ONOMASTICON
SACRUM

OPUSCULUM TRIPARTITUM

IN CUJUS PRIMA PARTE
Termini ſacro Liturgici voceſque minus uſitatæ
a diverſis Liturgicarum rerum Scriptoribus
adhibitæ explicantur.

IN SECUNDA
Rituum, Uſuum, Dignitatum Eccleſiaſticarum,
atque rerum quæ ad ſacra peragenda
inſerviunt prima inſtitutio
exploratur.

IN TERTIA
Voces & termini in Breviario occurrentes
quoad genuinum ſenſum minus
obvii exponuntur.

AUCTORE
MONACHO CISTERCIENSI
C. S. B.



ROMÆ MDCCLXIV.

TYPIS FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.
PRÆSIDUM FACULTATE.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

EMINENTISSIMO PRINCIPI

JOSEPHO MARIA FERRONI

CONGREGATIONIS SACRORUM RITUUM

PRÆFECTO.



RUDITIONUM faſciculum ad Sacros Ritus ſpectantium, ex diverſis probatis Auctoribus mihi ſoli, meo commodo collectum, ex quo inſtantibus quibuſdam amicis

meis, typis concedendi consilium assumpsi, reluctante nihilominus meo sensu, ob satis mihi perspectam præsentis opusculi tenuitatem; nemini nihilominus æquius, consultius, & dignius, ut Auctori & operi in instanti editione patronum seligerem, EMINENTISSIME PRINCEPS, quam Tibi nuncupari debere sum arbitratus; quandoquidem ob excelentem tuam Urbi, & Orbi perspectam in Theologicis, Canonicis, Civilibus, & Liturgicis facultatibus eruditionem, meritò a Regnante Pontifice CLEMENTE XIII. Sacræ Rituum Congregationis Præfectus es constitutus, super cæteras omnes Congregationes,

pro

pro mei tenuitate judicii ſpectabilis. Aliarum ſiquidem Congregationum ſollicitudini commiſſæ ſunt adminiſtrationes rerum omnium quæ fiunt ſub Cælo. Congregatio autem Sacrorum Rituum, Cæli aſtra conſcendens, ſuis judiciis, quaſi lapide lydio, gemmarum illarum ſplendorem probat, & prætium, quo fulciri par eſt, quæ dignæ cenſeantur, ut in firmamento collocatæ, quaſi ſidera in perpetuas reſplendeant æternitates.

At quò ſe audet extollere humi reptans lingua mea, adhærens faucibus meis; utique nimis audax ſi Eminentiæ Tuæ digna loqui blandiretur ſibi. Loquar ni-

hilominus, ſed ex multis quæ in EMINENTIÆ TUÆ laudem fari poſſunt, pauca ſolum, quæ nemo non videt, quæ Roma experitur, quæ probi omnes commendant; alioquin ſatius magis eſſet contemplari in ſilentio, quod laborioſa non ſufficit explicare locutio. Tua amabilis præſentia, & ſpiritus vivacitas, quæ florentiores adhuc agentem annos, inter nobiliſſimos Collegii Clementini convivas, optimæ ſpei evaſurum in virum, omnium ore prædicabat, jam ex tunc omnium tibi animos devicit. Vultus tui ſerenitas ad gravitatem compoſita, ſemper ſingularem tibi conciliavit venerationem, & amorem. Incon-

cuſſa

cussa omnibus in rebus pro munere tuo gerendis firmitas quam retines, animi tui constantiam probat. Sacer ardor pro Canonizatione Sanctorum promovenda, indefesso super eorumdem acta studio, quo inflammaris, tot tibi Tutelaria numina pro diutina, quam una cæteris cum Tuis clientibus, tibi enixe a Deo præcor incolumitate servanda adauget, quot Venerabilium & Beatorum promoves causas. Demum supergrandis in excipiendis omnibus protectionem tuam implorantibus benignitas, cordium facta magnes, in tuarum commendationem virtutum proborum omnium solvit linguas, quas inter mea balbu-

tiens, dignum tam ſpectabili Purpurato Principe loqui quid valeat? Loqueretur plane, ſaltem quæ proprio didicit experimento, jam protracta in annorum ſerie, ex quo dignante magnitudine tua, parvitatis meæ frequentem pateris ad Te acceſſum, ſi majora de te loqui non prohiberet ſumma moderatio Eminentiæ Tuæ, a qua quot beneficiis cumulata puſillitas mea, tot tibi eſt titulis devicta. Ut autem de iiſdem a Munificentia Tua mihi collatis vigeat (prout minimo inter Monachos ſuppetere valent vires) numquam intermoritura memoria, præſens ſiſto opuſculum Tibi ſacrum, ut omnibus notum fa-

ciam

ciam quod EMINENTIÆ TUÆ gloriabundus vivo.

Ex Collegio S. Bernardi Romæ ad Thermas

Umilitate, Obbedientia, Obsequio

Æternum addictissimus

D. N. N. Monachus Cisterciensis
C. S. B.

LECTORI
TYPOGRAPHUS
FRANCISCUS BIZZARRINI KOMAREK.

NON *modo utile, sed pernecessarium sacris deditos, voces quibus res sacræ significantur habere perspectas. Vocum exoticarum, vel earum quæ apud Scriptores aliquos licet usurpatæ, minus tamen sunt usitatæ (quapropter earumdem significatio minus est obvia), indicem Onomasticum, pro sua satis omnibus Liturgicæ scientiæ amatoribus nota eruditione, scripsit R. D. Edmundus Martene, Congregationis S. Mauri Monachus in fine sui commendatissimi Operis inscripti* De antiquis Monachorum Ritibus; *sed cum in perplures alias voces exoticas, vel minus usitatas præsentis Opusculi tripartiti Auctori, varia legendo antiqua manuscripta, incidisse contigerit; ampliorem vocum exoticarum, minusque usitatarum explicationem ex probatis Auctoribus & manuscriptis colligere studuit. Eruditorum judicio hunc non levem laborem futurum proficuum intellexi, quandocumque publici fieret juris; quapropter meis sumptibus evulgandum assumpsi; alio itidem ad præsentis Operis impressionem excitatus motivo manum admovi. Opera onomastica in quibus de nomenclatione ad res sacras spectante, & de earumdem explanatione fusius disseritur, cum majoris sint molis, & consequenter illa empturis majoris dispendii, nec omnium Ec-*

clesia-

clesiasticorum vires, qui Ecclesiæ pro suo munere deserviunt graviores patiantur expensas, hinc sequitur inter Ministros Ecclesiasticos inveniri, qui laborant inopia librorum, in quibus significationes sacrarum vocum enucleantur ad res sacras, & sacra ministeria pertinentium. Cum autem in hoc compendioso Onomasticon significationem vocum ad res sacras magis usitatas spectantium perstrictam compererim, publicæ commoditati, & beneficio vulgandum assumpsi. Vale.

LE-

LECTORI

AUCTOR PRÆSENTIS OPUSCULI.

PRæclare ſcripſit Epictetus apud Arianum lib. 2. cap. 27. *Principium eruditionis eſt intelligentia vocabulorum*: multiplices enim patiuntur acceptiones vocabula quædam, vocesque, ac nomina, quæ ab uno, una ſub ſignificatione ſumuntur; ab altero ſub omnino diverſa explicata ſæpe conſpicimus. Quare ad rem S. Maximus Martyr. adverſus Pyrrhum luculenter ait: *Dicere aliquid, nec ejus quod dicitur varias ſignificationes diſcernere confundere eſt*. Porro ſi quavis in facultate, vocum ad eam ſpectantium notio ne dum utilis, ſed prorſus neceſſaria invenitur, potiori jure hoc eſt ſentiendum in Liturgicis, Eccleſiaſtico præſertim viro, cujus eſt & ea apprime calere quæ ſui ſunt muneris, & eos docere qui ea ignorant. Quare non ad aliorum eruditionem, ſed ad meam inſtructionem hoc mihi collegi per interſtitia Onomaſticon, infructuoſum quidem futurum eruditis, & quibus Codicum copia ſuppetit: tyronibus autem, librorumque inopia laborantibus facem aliquam allaturum, licet enim mancum ſit & aridum, fontes tamen innuit ex quibus ſtudioſi ſitim abunde explere valeant.

Huic vocabulario inſerui nonnulla Ambroſianæ Liturgiæ propria, ad quorumdam ſciollorum illuminationem, quorum modicus non

eſt

est numerus, qui cum nec ex cortice, nec ex nomine Liturgicos noverint Codices, veterumque Rituum omnino jejuni sint (inter quos veteres Liturgicos Ritus, Ambrosianus nuncupatus spectabilem sibi vindicat locum) reliquos spernunt, atque derident. Quo circa abs re non erit hic referre quod Viro Clarissimo Joanni Andreæ Irico Ambrosianæ Doctori, suis editis lucubrationibus Orbi Litterario notissimo accidit. Hic cum sua tractus Ambrosianos erga Ritus veneratione, in Metropolitana Mediolanensi Vesperis cujusdam solemnitatis, sacra faciente Archiepiscopo, devote adstaret, audiens quosdam juvenes alienigenas, qui forte aderant, curiositate non devotione tracti, stultorum more cachinnantes, & Ambrosianos Ritus subsannantes, ad eos conversus rugosa fronte, elatoque supercilio dixit. Hi porro sunt Ritus qui Augustinum per S. Ambrosium ex Manichæo Catholicum reddiderunt.

Sed ut in semitam a qua modicè in gratiam Ambrosianæ Liturgiæ declinavi regrediar; quidquid sentire valeant de hoc tripartito Opusculo in quorum manus inciderit, meo usui sæpe numero profecisse fateor, tunc maximè cum de aliquorum Rituum Ecclesiasticorum prima institutione contigit sermo: cujus rei notitia ad dirimendas plures controversias frequenter est non modo opportuna, sed scitu necessaria: quapropter eamdem notitiam in secunda hujus tripartiti Opusculi parte perstrictam exhibeo.

De-

Demum cum ſicut ſupra jam monui & ex S.Maximo Martyre didici, quod dicere aliquid, nec ejus quod dicitur varias ſignificationes ſcire, aut genuinum neſcire diſcernere ſenſum, confundere ſit; quoſdam eſſe ex his qui ad officii Eccleſiaſtici penſum tenentur, qui in præfatam confuſionem poſſint impingere, ſuſpicari non erit abs re, cum aliquando ex his aliquos ſit invenire in genuina intelligentia ſacrorum vocabulorum nondum apprime inſtructos: ad eoſdem itaque ab hac confuſione avvertendos, tertia præſentis Opuſculi pars forte poterit eſſe proficua, in hoc ſaltem quod ibi collectam habent vocabulorum exoticarumque vocum quæ in Breviario occurrunt intelligentiam, & dilucidationem, quam nonniſi pluribus in voluminibus diſperſam eſt invenire.

Cæterum ingenue fateor plura in hoc Opuſculo ineſſe, quæ cenſoriam mereantur ſpongiam, & me quoque qui ſcripſi judice, digna lini: quo circa meam fateor ignorantiam, & excuſationis loco mihi libenter uſurpo, illud Auguſtini epiſt. 80. *Mihi non videtur errare quiſquam cum aliquid neſcire ſe ſcit, ſed cum putat ſcire quod neſcit.*

Poterit forte contingere, ex quo præſens Onomaſticon, meo tantum uſui, & commodo a me collectum, quod cum publici erit juris factum, non eſſe defecturos qui ſibillent tamquam infructuoſam orbi litteratio ejus impreſſionem, quandoquidem plura quæ in eo perſtringuntur, fuſius

fuſius in Liturgicis operibus digeſta conſpiciantur; nihilominus aliquantula etiam utilitate non defraudari, præſentis Opuſculi lectionem non deſpicientes, auſim aſſerere; quandoquidem facilius hic haberi poſſunt obvia plura, quæ Clericali, & eo magis ſacro inſignitis caractere ſcitu ſunt neceſſaria; præterquamquod plures profert eruditiones fideliter ex Codicibus manuſcriptis extractas, non modico ſtudioſorum numero forte hactenus ignotas, quia nuſquam impreſſas; manuſcriptorum autem Auctores, & Bibliothecæ in quibus citata manuſcripta aſſervantur; ex quibus ſingulares notitiæ ad rem extractæ ſunt, in decurſu Operis opportunis in locis indicantur.

Quidquid autem poſſint critices de hoc Opuſculo effutire, mihi hæc ſcripſi, meo commodo, meæ eruditioni. Si tibi Lector benevole laborem meum agnoveris, vel in modico eſſe poſſe proficuum, de mea lucubratione, de tua eruditione redde præcor debitas grates bonorum omnium Auctori.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sac. Pal. Apost. Magistro.

Dominicus Jordani Archiep. Nicom. Vicesg.

APPROBATIO.

MAndatis obtemperans Rmi P. S. P. Mag. Thomæ Augustini Ricchini, attente, & magna cum voluptate perlegi *Onomasticon Sacrum Opus tripartitum &c. Auctore Monacho Cisterciensi C. S. B.*; & in eo nihil a me fuit offensum quod Ecclesię legibus esset adversum. Imo visum est mihi opus omnigena sacra eruditione refertum, quodque quo compendiosius, eo majori futurum sit utilitati antiquitatis sacræ studiosis: quo circa prælo dignissimum judicio.

Romæ ex Collegio Calassanctio nono Kal. Octob. 1763.

Faustus Antonius Maronus Schol. Piar. & Congreg. Sac. Rit. Consultor.

AP-

APPROBATIO.

EX commiſſione Rm̃i P. Thomæ Auguſtini Ricchini S.P.Ap.Mag. non ſine animi mei jucunditate perlegi librum cui titulus: ***Onomaſticon Sacrum Opuſculum tripartitum a Monacho Ciſtercienſi C.S.B. elucubratum***. Opus ſane parvum quantitate molis, ſed magnum quantitate virtutis, in eo ſiquidem præclarus Auctor terminos & vocabula in Liturgicis libris paſſim uſurpata, & quandoque ſatis obſcura nova & vetera de Theſauro ſapientiæ ſuæ eruditionis proferens monumenta exponit atque dilucidat, indicatis Codicibus, probatiſque Scriptoribus, ut hii qui vel ex placito, vel ex munere hujuſcemodi ſtudiis vacant, ibi habeant unde commodam notionem plenius decerpant. Quare cum in hoc Libro nihil repererim, aut orthodoxæ Fidei dogmatibus alienum, aut ſanctis moribus diſſonum, prælo dignum exiſtimo.

Romæ ex Collegio PP. Carmelit. Excalc. S.Mariæ de Victoria pridiæ Idus Febr. 1764.

Fr. Theodorus a Spiritu Sancto Carmel. Exc. promovendorum ad Epiſcop. Examin. ac Congreg. Sacrorum Rituum Conſultor.

AP-

APPROBATIO
ABBATIS GENERALIS
CONGREGATIONIS S. BERNARDI
EX ORDINE CISTERCIENSIS.

ONomasticon Sacrum Opusculum tripartitum, a Monacho Congreg. nostræ collectum, a duobus ejusdem Congreg. Theologis ex commissione nostra revisum; cum nihil a Fide, & bonis moribus dissonum continere præfati Revisores compererint, quantum ad nos spectat publici juris fieri posse permittimus.

Romæ ex Collegio S. Bernardi, die Doctori mellifluo Sacra 1763.

D. Joannes Sianda Abbas Generalis.

D. Robertus Cavalloti Abbas, & Secretarius.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius, Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

INDEX

AUCTORUM QUORUM TESTIMONIO FULCITUR PRÆSENS OPUSCULUM TRIPARTITUM.

A

Agatias lib. 1.
Amalarius lib. 3. de Div. Offic.
S. Ambrosius.
Anastasius Sinaita.
Anastasius Bibliot.
S. Anicetus Pp. in ep. ad Clerum Gallic.
S. Augustinus.
S. Athanasius in ep. ad Solit.

B

Baronius.
Beda.
S. Bernardus Ab. & Doct. Mell.
Berno de S. G. M. cap. 1.
Bibliothecarius in Leone III.
S. Bonaventura lib. de expos. Missæ.
Bollandistæ.
Bonif. VIII. C. ultim. de privileg.

C

Cassinensium Statuta.
Cencius Camerarius in Cærem.
Cæremoniale Episcop.

Ciam-

Ciampinus.
Conc. Cartag. 4.
Conc. Laodic.
Conc. Cartag. ſub Papa Cæleſt.
Conc. Baſilenſe.
Conc. Tolet. anno 633.
Conſuetudines Lyrę.
Concordia Dunſtani cap. 1.
S. Cyrillus Hieroſol.
S. Cyprianus.

E

S. E*Piphanius.*
Euſebius in ſua hiſt.

F

F*vmagallus.*

G

G*Emma de antiq. rit. Miſſę.*
Gloſſa.
Glycas.
Gregorius Turon.
Gregorius de Rives in declar. vocum.
S. Greg. M. epiſt. lib. 2.
S. Gregorius Nazian.

Hil-

H

HIldemarus.
Hincmarus.
S. Hieronym. in ep. ad Corinth.

I

INnoc. III. in ep. ad Falconem.
Joannes Diaconus in vita S. Greg.
Joannes Lucius lib. De Regno Dalmat.

L

LEo Papa IV. Tom. 4. Concil.
Lanfrancus in Decret.
Lib. usuum Cisterc.
Lib. usuum Becensium.
Luitprandus lib. 6. hist.

M

MAgri litera A.
Manuel Caritopolus.
Martene de antiq. Monac. usibus.
Menardus.
Micrologus de Ecclesiast. observ.

O

ORdo Romanus.
Ordinarium Casin. & Cartus.

S. Pa-

P

S. PAcianus ep. 2. ad Symfor.
Petrus Mallius in hist. sacra.
Puricellus in Monum. Basilicę Ambrosianę.

R

RAdulphus Tungrensis lib. 4. c. 3.
S. Remigius in testamento num. 7.
Rupertus Abbas lib. 1. de Div. Offic.

S

SErgius I. PP. citatus ab Anastasio.
Sigebertus in Chronic.
Sozomenus.
Spicileginm Tom. 1. ad ann. 1513.
Stephanus Tornacensis.
Stephanus Eduensis lib. de Sacram. Altar.
Statuta Cluniacensia.
Syntagma doctrinę ad Monac. S. Athan.

T

TErtullianus adversus Gentes cap. 9. de Spectac.
Theodoretus.
Theodorus Balzamon.

V

VAlafrus.
Vicecomes lib. 7. cap. 5.

OPUS-



ONOMASTICON

SACRUM

Potiores ritus, vocesque Ecclesiastico Liturgicas breviter dilucidans.

A

A*Bacus*. Mensa tabula &c. seu scrinii genus, super quod deponi solet supellex, seu sacra indumenta, & alia pro Missa necessaria. Dicitur quoque *Credentia*.

Ablutio. Ritus abluendi manus post oblationem antiquissimus est in Ecclesiis: unde Cyrillus Hierosolymitanus initio Catecheseos quintæ mystagogicæ ait: *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis, qui circum altare Dei stabant Presbyteris*. Hæc ablutio ex Nicolao de Plove in expositione Missæ, in Ecclesia sua Posnaniensi differtur usque ad finem Præfationis, dicto à nonnullis psal. *Lavabo*, & à quibusdam omisso propter Canonis continua-

tionem. In Ecclésia autem Ambrosiana dictus Psalmus non legitur: ablutio enim manuum differtur usque ad illa verba: *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat &c.*

Ablutio altera fit in Missa postquam Sacerdos Corpus & Sanguinem Domini sumpsit, & alios communicavit. Hujus ablutionis ritus describitur à Joanne Episcopo Abrincanensi apud Menardum his verbis: *Particulam, quæ in Calice remansit, Sacerdos sumat, & post Diacono calicem ad mundandum, & sumendum quod remansit porrigat: qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, partem sibi accipit, & partem Subdiacono tribuat. Post mundato utroque, utrique participent. Acolythus verò alterum calicem Sacerdoti ad mundandum digitos deferat.* Sed quid fieret de Ablutione, silet. Lotionis quoque manuum meminit Ordo Romanus, sed non Ablutionis, quæ nunc sumitur à Sacerdote. Fortè priùs projiciebatur in Sacrarium: in antiquis enim Ecclesiis singula altaria à parte Epistolæ parvam habebant Piscinam ad hunc usum elaboratam: unde in libro usuum Cistercien. cap.53. hæc habentur: *Si quid residuum fuerit de Sanguine, bibat illud Diaconus cum calice postquam fistulam reddiderit Subdiacono. Quam fistulam, antequam reddat, in quantùm potuerit ab utraque parte sugendo, à Sanguine Domini evacuet. Subdiaconus verò tenens*

fistu-

fiftulam contrà faciem ſuam in tranſverſo, eat ad Sacerdotem per retrò altare miniſtrare vinum in calice. Qui calice recepto reſpergat digitos ſuos in ipſo, quem ponens ſuper altare, eat ad piſcinam abluere in ipſa digitos aqua. Quibus terſis, redeat ad altare ſumere vinum, quod dimiſit in calice. Quo ſumpto, iterum aſpergat calicem vino: quo hauſto; ponet illum non reclinatum ſuper altare juxta patenam.

Lotam quoque, ſeu ablutam fuiſſe & ipſam patenam patet ex Martene de Antiquis Monachorum ritibus lib.2. cap.4. *Deinde patenam à Subdiacono accipiens, diligentiſſimè eam vinum ſuperinfundendo, abluit; & illam ſuperinfuſionem Subdiacono eodem modo, quo ipſe priùs ſumendam tribuit.*

Ablutorium. Locus propè Sacrarium pro lavandis manibus deſtinatus, tam pro Sacerdote ſacra facturo, quàm pro miniſtris. *Fratres revertentes per Ablutorium in chorum, faciant orationem: & poſt induantur albis paratis. Sacerdos indutus Caſula &c.* Lib.uſuum Ciſtercien.

Abraſio capitis. Abraſionem capitis, ſeu Tonſuram initium ab Apoſtolis habuiſſe, colligitur ex Syntagmate doctrinæ ad Monachos. Divi Athanaſii: *Prolixam Cæſariem non ale, quòd ejuſmodi ſpeciem præſciderit Apoſtolus.* Petrus enim deriſionis & ignominiæ cauſa ab Evangelii inimicis tonſus legitur. Signi-

ficat autem hæc Tonſura ſpineam Chriſti coronam. De hac Abraſione, ſeu tonſura Anicetus PP. in Epiſt. ad Clerum Gall. hæc habet: *Clerici comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſpheræ radant.* Et Concil. Carthagin. 4. can. 44. *Clericus neque comam, neque barbam alat.*

Rem mirificam ſcribit Gregorius Turon. in vit. SS. PP. c. 17. *S. Nicetus Epiſcopus, ab ipſo ortus ſui tempore deſignatus eſt Clericus: nam cum partu fuiſſet effuſus omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur, in circuitu verò modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab iiſdem coronam clerici fuiſſe deſignatam.*

Abſconſa, *ſconſa*: Cæca laterna à verbo *Abſcondo* ſic dicta, eò quod lumen, ſeù candela in illa abſconderetur. Hujus vocis frequens mentio in Monachorum ritibus. Lanfrancus in Decret. c.4. *Tunc accenſa candela in abſconſa, unus eorum in dormitorio debet circuire lectos omnium.*

Abſida, Tribuna, ſeu pars rotunda Eccleſiæ retro altare majus.

Abſis, licèt idem ſignificet ac *Abſida* aliquando tamen ſumitur pro ipſa ſede Epiſcopali, quæ communiter in medio Tribunæ collocabatur. *Dicebam ego quibus poteram qui nos in abſidem honoratiores, & graviores aſcenderunt &c.* S. Auguſtin. ad Albinum.

Ab-

Absisgradata, sic dicta, ex eo quod ad illam, gradibus duplici ex parte ad orientem, & occidentem; sive interioribus & exterioribus ascenderetur. *Transit honor hujus seculi, transit ambitio: In futuro Christi judicio nec absida gradata, nec cathedra velata &c.*

Absida linteata idem ac velata, seu Episcopalis sedes velis, seu linteis cooperta. *An Novatianus quem absentem epistola finxit, quem consecrante nullo, linteata sedes excepit.* S. Pacianus epist. II. ad Symphor.

Absolutio. Hoc vocatur nomine brevis illa oratio, quæ absoluto singulo quoque nocturno recitatur, antequam lectiones incipiantur.

Absolutio quoque dicitur oratio illa, quæ circa cadaver, vel tumulum dicitur a Sacerdote.

Absolvo sumitur aliquando pro *libero*, *facultatem do*, *potestatem facio &c.* Liber usuum Cisterciens. *contingat, ut aliquis conjugali nexu ligatus, Monachis hoc ignorantibus suscipiatur, dum cognitum fuerit, eijciatur. Quod si postea sigillum Episcopi sui, vel certum testem adduxerit, quod uxor ejus castitatem vovens, eum absolverit, recipi poterit.*

Absolvo aliam quoque significationem admittit, idest: dimitto, condono, veniam facio &c. ut ex vita S. Galterii Abbatis Pontisarensis n. 16. *Injungitur reum de peccatis suis coram Deo, & Sanctis ejus in præsentia nostra confiteri, absolvit omnes, & ab omnibus absolvitur*. Et ex statutis Cluniacens.: *Ducunt*

eum fratres in capitulo inter manus, si est adeò infirmus, & petit veniam .... & contra illos confitetur, & absolvit eum Prior, & cunctis respondentibus Amen, ipse cunctos, si quid contra eum deliquerint, absolvit. In statutis S. Lanfranci. *Illi diligenter illud in sepulcro componant, & absolutionem scriptam, & a fratribus lectam super pectus ejus ponant, & operiant.* Ex quibus patet nomine *Confiteri*, seu Confessionis, & Absolutionis venire. *Confiteor Deo omnipotenti*: & *Misereatur tui omnipotens Deus &c.*

Abstensio apud Clericos aliquando sumitur pro suspensione, unde.

Abstentus idem significat ac excommunicatus, seu ad tempus suspensus ab ecclesiasticis functionibus. *Accipiat sententiam, quam prior dixit, ut abstentum a nobis sciat.* S. Cyprianus epist. 38.

Acclamationes nihil aliud erant, nisi preces, quas Diaconi Cardinales, Subdiaconi, aliique ordines faciebant Papæ post Collectam. Archidiaconus & alii stantes juxta altare, alta voce dicebant: *Exaudi Christe*: Scriniarii vero stantes in choro respondebant: *Domino nostro Papæ* vita.

Deinde. Archidiaconus tribus vicibus dicebat: *Salvator mundi Tu illum adjuva*: respondentibus Scriniariis. Sequebatur Litania, idest: *Sancta Maria Tu illum adjuva*: *S. Michael Tu illum adjuva*: *S. Gabriel Tu illum adjuva*

va &c. Istæ porro laudes eodem ferme ritu fieri solent Papæ in solo suæ coronationis die. *Cencius Camerar. in Cæremon.*

Acclamationes similes intra Missarum solemnia factas quoque fuisse Imperatoribus, & ipsis absentibus eorum Imaginibus colligitur ex initio libri XI. Epistolarum Gregorii Magni. *Venit Icona Phocæ & Leontiæ Augustorum Romam, & acclamatum est eis in Lateranis in Basilica Julii ab omni Clero, vel Senatu. Exaudi Christe: Phocæ Augusto, & Leontiæ Augustæ Vita.* Hunc acclamationum ritum in cunctis Ecclesiis antiquatum, adhuc in Dalmatia vigere scribit Joannes Lucius lib. 2. de Regno Dalmatiæ cap. 6.

Acerra: licet aliquando accipiatur a nonnullis pro Thuribulo, communiter tamen usurpatur pro vasculo ad recondendum incensum deputato, vulgo *Navicula*: Tertull. adver. Gentes c. 9.: *Quantum quidem & ipsum proinde examinatorem Christianum adhiberi, & foculum, & acerram oportebat.* Etiam Agatias lib. 3. *Diripiebant, suisque ornatibus spoliabant, multas quidem amulas sacras, quam plurimos etiam Calices, & Acerras &c.* Frequens autem est vox hæc in Ritualibus Monasticis, ut videre est apud Martene.

Accipere veniam: Genuflecto: Genuflectere &c. *In vigilia Annuntiationis sonet capitulum diutius solito, ut omnes accurrant ad initium Lectionis; & cum pronunciata fuerit Annun-*

nuntiatio a latere, accipiant omnes veniam supergenua. Martene de antiquis Monach. ritibus l. 4. c. 4. & infra: *Annuntiatio Dominica in capitulo pronuntietur alta voce, omnes debent convenire, & flectere genua in terram dum pronuntiatur.* Hic ritus servatur in mea Congregatione in omnibus privilegiis ejusdem B. V. M.

Acetabulum. Gregorius de Riues in declaratione vocum difficilium in ecclesiastica historia dicit esse mensuram capientem sesquicyatum: un bichiero e mezzo. Macrius autem vult esse scutellam *Acetabulum argenteum pondo centum triginta siclorum* Testament. S. Remigii num. 7.

Acolytus, *Acolythus*, *Acolutus*, omissa hujus nominis etymologia & quæstione, quo tempore Acolytatus inter Ordines adnumerari cœperit, nullum fere est Missale, Cæremoniale nullum, in quo Acolytorum mentio non fiat. Illius partes sunt præparare luminaria in sacrario, candelabrum cereosque portare, & alia exequi juxta Ecclesiarum mores & consuetudines.

Acroasin: Contra Novatianorum hæresim perperam asserentium non esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata post Baptismum, non quod simpliciter negarent lapsis pœnitentiam, visum est Patribus modum & ordinem pœnitendi certis legibus stabilire, ideoque quatuor pœnitentium gra-

dus,

dus, ceu ſtationes conſtituerunt. Prima dicebatur *Fletus*, Græce - Proclauſin - ſecunda *Auditio*, Græce *Acroaſin*. Tertia *Subſtratio*, Græce *Hipoptoſin*. Quarta *Aptaſin*, Græce, quod eſt *Conſiſtentia*: *Acroaſin* ergo ſecundus erat locus, aut gradus, de quo ſub voce *Auditio*.

Adgeniculor, flectere genua, procumbere in genua, genibus advolvi Sacerdotum &c. quod præſtabant pœnitentes in primitiva Eccleſia, de quibus Tertullianus lib. de Pœnitentia, c. 9. *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis eſt diſciplina... mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari &c.*

Adminiculator: qui cauſas Viduarum, Pupillorum, & Derelictorum defendebat. Hujus in Romana Eccleſia offitii meminit Luitprandus lib. 6. Hiſtor. c. 6.

Adminiſtratio Reipublicæ Latine idem ſignificat, ac Græce *Oeconomia*. Œconomiæ autem nomine utitur S. Epiphanius hæreſ. 75. pro ſacrificio; quare apud illum idem eſt *Facere Oeconomiam*, ac ſacrificium offerre.

Adoro: *Adorare*. Hæc vox aliquando ſignificat inclinationem, venerationem, ſalutationem &c. Caſſinenſium ſtatuta: *Poſt hæc veniat Abbas cum omnibus fratribus ante illos* (pauperes) *& adorent eos, ponentes genua*

ſua

sua in terram, & ex Mss. Germaniæ: *Dominus Abbas cum quibus voluerit, pergunt ad mandatum duodecim pauperum .... cum vero pervenerint, adoratis illis &c.* & ex lib. usuum Beccensium: *Omnes flectant genua ante pauperes ut adorent Christum in illis pauperibus*.

Advectio Latine nihil aliud sonat, quam illam Processionem, quam Græci faciunt a Prothesi, ideſt ab altari minori ad sacrum Bema, ideſt ad majus altare, ad illud portantes panem & vinum pro sacrificio.

Adventus nomine intelligimus præparationem ad Domini N. J. C. diem natalem. Ritu Romano incipit a Dominica proximiore festo S. Andreæ: Ambrosiano vero, & Mozarabo sex de Adventu assignantur Missæ, incipit enim Adventus in Dominica viciniori festo S. Martini, ideoque olim vocabatur *Quadragesima S. Martini*; & aliis *Quadragesima minor*. In ordine Gelasiano nonnisi quinque de Adventu Domini Missæ notantur, id autem non obscure innuit Amalarius lib. 3. de Divin. Off.

Æditus: Custos Ædis sacræ, sacrista, *Infantibus ad Ecclesiam intrantibus Æditus primum signum sonet*. Concordia Dunstani cap. 1.

Æphonotrophium. Collegium Cantorum, sive locus, ubi Cantores alebantur. *Fecit ad S. Ste-*

S. Stephanum Æphonotrophium, ubi Primicerius & Cantores manerent. Petrus Mallius histor. sacra, loquens de Sancto Gregorio Magno.

Aër. Tribus velis Græci sacra tegunt: uno discum, altero calicem, tertio, eoque majori utrumque simul: hunc vero Aërem vocant, quia per modum aëris circa terram expansi dona ambit.

Aêra. Non omnes conveniunt in assignanda hujus vocis etymologia: quidam enim volunt derivare ab *Aes*, eo quod in monetis imprimeretur numerus, seu nota, qua pretium ejus consignabatur, & annus currens. Alii vero, & probabilius dicunt hanc vocem componi his ex sillabis abbreviatis idest A. E. R. A., ut significent *Annus erat Regni Augusti*: ejus enim temporibus, tanta vis auri ab Hispania collecta, adunataque fuit, ut abunde suffecerit pro triumpho, idque anno quarto post Triumviratum Augusti, idest anno trigesimo octavo ante Christum natum. Ut ergo Aëræ numerus ad Christi annorum supputationem reducatur, anni 38. deducantur.

Ætas intelligibilis. Fuisse olim oblatos infantes, & pueros Monachis, ut in Cœnobiis educarentur, patet ex Gregorio M. lib. 2. Dialogor. c. 3. ubi loquens de S. P. Benedicto, hæc habet. *Tunc quoque bonæ spei soboles. Eutychius Maurum, Tertullus verò Patri-*

cius

cius Placidum tradidit. Placidus verò pueriles agebat annos. Quæ autem fuerit hujusmodi Oblatorum, seu Puerorum disciplina, & custodia legere est apud Martene de antiquis Monachorum ritibus lib. 5. c. 5. n. 5. & alibi. Tales autem pueri, seu infantes Professionem non emittebant, nisi in ætate sufficienti essent constituti. Hæc porro ætas ex Mss. usuum Beccensium *Ætas intelligibilis*, idest capax discretionis appellatur. *Cum autem venerint ad ætatem intelligibilem, faciant professionem, sicut alii faciunt*. Intelligitur, si ita eis placuerit; secus ad ætatem intelligibilem deducti, si vitam Monasticam profiteri illis non arridebat, a Monasterio dimittebantur.

Agape erat convivium publicum, quod in Ecclesia, sumpta Eucharistia, fieri solebat ad mutuam charitatem fovendam, & ad pauperes refocillandos, ut docet Hieronymus in Epist. 1. ad Corint. cap. 11. Idem habet Chrysost. in eamdem Epist. Homil. 27. & Œcumenicus in ipsam quoque Epistolam ait: *Præcipuis diebus, sive festis post sacrorum mysteriorum participationem agebantur communes mensæ, præparantibus illas divitibus, ac pauperes invitantibus*. Videndus Tertullianus c.39. Apologetici.

Triplex autem erat Agape, Natalitia, Funerea, & Connubialis, quas hoc disticon enumerat Nazianzenus.

Non

Non epulum *natale* adiens cum pluribus, aut quod *Funereum* eſt, vel quod *connubiale* petens.

In dedicatione quoque Eccleſiarum exhiberi ſolitas fuiſſe, teſtatur Gregorius M. lib. 1. Epiſt. 4. ad Petrum Subdiaconum, & alibi.

Quia tamen in Agapes graves irrepſerant abuſus, ideò Concil. Laodic. anno 320. can. 28. ſancivit: *Non oportere in Dominicis locis, ſeu Eccleſiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere*.

Hoc idem prohibuit Mediolani S. Ambroſius, ut refert S. Auguſtinus de ſua ſancta Matre Monica lib. 6. Confeſſ. c. 12. ſcilicet ipſam, quum Mediolani verſaretur, & ad memorias Martyrum, ut in Africa conſueverat, caniſtrum cibis refertum detuliſſet, fuiſſe ab Oſtiario prohibitam, quia talia D. Ambroſius interdixiſſet: Monicam verò morigeram domum reportaſſe: quæ inde abſtulerat.

Agapetæ ſorores, dictæ etiam *adoptivæ*, & etiam *devotæ*, erant quædam Virgines ſacræ, quas Clerici Conſtantinopolitani ſub pietatis ſpecie domi alebant. Hunc peſſimum uſum, ſeu novum concubinati genus, ut ait S. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtoch. ſic exclamans: *Unde in Eccleſia Agapetarum uſus introivit?* de medio ſuſtulit S. Joannes Chryſoſtomus.

Agathon. Hoc nomen a Græcis tribuitur Sacrificio, ſeu Euchariſtiæ: ſignificat autem, ſeu interpretatur *Bonum*.

Agen-

Agenda nihil aliud importat, quàm totam Missæ seriem, ut patet ex Concilio Carthag. sub Cœlestino PP. *Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo Agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.* Et Anastas. Bibliothecarius in Leone Secundo statuit, ne *Mauri Episcopi Agenda celebraretur*. Item Augustinus epist. 118. ritum Sacrificii *Ordinem agendi vocat*.

Agendæ defunctorum passim fit mentio in Antiphonario S. Gregorii, & in antiquis Scriptoribus offitiorum Ecclesiasticorum. In Missalibus &c. Et Beda in vita S. Augustini Anglorum Apostoli: *Per omne sabbatum à Presbytero loci illius Agendæ eorum solemniter celebrantur*.

Agitatio thuribuli. Thuribuli ductus Incensatio: *Incenset primò medium ipsius Altaris desuper, tribus, vel quatuor agitationibus .... Clerici verò thurificatores accepto thure, thuribula sua lentè agitantes &c.* Martene l.4.c.1.

Agnus Dei. Confracta Hostia sequitur deprecatio ad Christum Agnum Dei peccata mundi tollentem. Sergius I. PP. teste Anastasio, *statuit, ut tempore confractionis Dominici Corporis Agnus Dei, qui tollis peccata mundi à Clero & populo decantaretur*.

Et in Liturgia Chrysostomi Sacerdos divisurus sanctum Panem, dicit: *Frangitur, & dividitur Agnus Dei Filius Patris*. Successu temporis statutum fuit, ut in tertio diceretur

Dona

Dona nobis pacem. In Basilica tamen Lateranensi semper dicitur *Miserere nobis*.

In Ecclesia Ambrosiana numquam in Missa dicitur *Agnus Dei*, nisi in Missis pro Defunctis, & in tertio: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam, & locum indulgentiæ, cum Sanctis tuis in gloria*.

Alba est prima vestis sacra, qua Sacerdotes in veteri Testamento induebantur, dicta etiam *Poderis*. Hanc secundo loco induunt, qui ritu Romano utuntur: Ambrosiani verò, sicut & Maronitæ primo loco Camisium, seu Camisiam alii nominant; unde Amalarius lib. 2. cap. 18. *Postea Camisiam induimus, quam Albam vocamus*.

Alleluja: Hujus vocis, seu nobilissimi Cantici primus in novo Testamento mentionem facit Joannes Apostolus in sua divina Apocalypsi c. 19. ubi dicit se audivisse in cœlo supernarum Virtutum choros canentes *Alleluja*, idest *Laudem Deo*. S. Gregorius M. l. 7. epist. 63. scribit quosdam murmurasse, quòd ad Missas dici fecisset Alleluja extra tempus Pentecostes, quibus sic respondet: *Ut Alleluja hic diceretur de Hierosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi PP. traditur tractum*.

Alleluja verò dimittitur, seu deponitur juxta communem Ecclesiæ consuetudinem à Dominica septuagesimæ usque ad Sabbatum San-

Sanctum: istis enim tristitiæ diebus minimè congruit lætitiæ canticum. In Ecclesia autem Mediolanensi dicitur usque ad Dominicam in Capite Quadragesimæ. In omnibus autem tam Missalibus, quàm Ritualibus Ambrosianis semper reperitur, seu legitur *Halleluja*, & aliquando *Hallelujah*.

Alleluja cum Melodiis. Quo ritu cantetur *Alleluja* in Mediolanensi Ecclesia, & præcipuè in Metropolitana, longum foret hic minutim exscribere. Quia verò legitur apud Puricellum in monumentis Ambrosianæ Basilicæ pag. 1143. quòd in quodam Processu, de quo ibi fusiùs interrogatus Domnus Arnoldus Presbyter inter alia respondit. *Se audisse ab illa discordia infra Præpositum, & Canonicos aliquando celebrare Missam & Allelujam cum melodiis in solemnibus diebus. Sed dicit, quod sæpius audivit, quod dimittebant melodias in Alleluja, cum eas memorarent in eorum missis*. Videndum porro est, quæ nam foret hæc melodia. Rupertus Abbas l. 1. de Divin. Offit. c. 35. hæc habet. *Dum vero psallimus* Alleluja, *jubilamus magis, quam cantamus, unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas protrahimus &c.* Neumæ autem, sive neumata sunt notæ illæ, quæ in fine hujus vocis *Alleluja* prolixe cantantur, de quibus S. Bonaventura lib. de Exposit. Missæ cap. 2. sic ait: *Solemus longam notam post Alleluja super hanc*

hanc litteram A. *prolixius decantare &c.* Et Stephanus Eduensis lib. de Sacramento Altaris, c. 12. *Allelujatici cantus modulatio laudes fidelium Deo dicatas exprimit. Verbum est breve, sed longo protrahitur pneumate.*

Alleluja declinari jam supra vidimus, & ibi dictis adde ex Martene l. 1. c. 2. *Duodecimumque Psalmum sub Alleluja responsione.*

Allelujaticus ℣. Alleluja, qui post Antiphonas cantatur. Martene loc. cit. *Antiphonæ minores cum Allelujaticis suis.*

Aliturgici dies apud Græcos sunt omnes Quadragesimæ dies, quibus Missas non celebrant, sed solis præsanctificatis utuntur, excepto Sabbato, Dominica, & festo Annuntiationis: apud Latinos autem sola Feria Sexta in Parasceve: at in ecclesia Ambrosiana omnes feriæ sextæ in Quadragesima, nullum enim fit offitium de Sancto toto eo tempore.

Almutia: *Almutium*. Ecclesiastici indumenti, seu ornamenti genus, quo utuntur in aliquibus Ecclesiis Canonici, seu Beneficiarii &c. Concil. Basileen. *Ecclesias ingrediuntur non Capucia, sed Almutias, vel Birreta in capite tenentes*. Et Cæremoniale Episcoporum l. 1. c.18. *Qui solent gestare Almutium, cum assurgunt, a scapulis ad brachia dimittant*. Alexander PP.III. Almutii usum Monachis S. Germani a Pratis concessit. *Quia*, inquit, *nonnulli prædicti Monasterii Monachi graves infirmitates occurrunt, propter*

 fri-

frigus, quod patiuntur, ex eò quòd discoopertis capitibus semper Horas Ecclesiasticas canunt.

Alphabetum, idest litteræ illæ hebraicæ quæ solent præmitti, & legi ante Lectiones, seu Lamentationes Hjeremiæ in tribus tenebrarum diebus, ut *Aleph*, *Ghimel &c. Tres primas Lectiones ex Lamentatione Hjeremiæ Prophetæ desumebant, quas sine cantu, & solitis Alphabetis legebant.* Consuetudines S. Benigni, & Corbejen. apud Martene l. 3. c. 13.

Altare quid sit, breviter hisce verbis deffinit Optatus Milevitanus. *Altare quid est, nisi sedes Domini nostri?* Quia verò varia & multiplicia sunt altarium genera, diversaque sortiuntur nomina, breviter hic cuncta referre placuit.

Altarium majorum & minorum omnibus nota est diversitas.

Altaria, *lignea* fuisse primis Ecclesiæ seculis, ut expeditius de loco in locum tempore persecutionum transferri possent, & usque ad Athanasii tempora in usu fuisse, patet ex ejusdem epistola ad Solitarios. *Cum rapuissent subsellia, & cathedram, & mensam, erat enim lignea, & vela Ecclesiæ &c.* Ex quibus verbis constat promiscuum fuisse usum in Oriente altarium.

Altaria, *argentea* etiam fuisse patet ex Pontificali, ubi legimus Constantinum Magnum fecis-

fecisse in Basilica Constantiniana septem Altaria, quorum unumquodque libras argenti 260. pensabat. Sixtus quoque PP. Tertius obtulit Basilicæ S. Mariæ altare argenteum, pensans libras 300.

Altaria portatilia & motoria illa erant, quæ Episcopi itinerantes secum olim ferebant, ut in his, in locis ab Ecclesia dissitis, Missas facere possent. Horum meminit Hincmarus Remensis in Capitulis editis anno sui Episcopatus duodecimo. *Si necessitas poposcerit, donec Ecclesiæ, vel Altaria consecrentur, & in Capellis etiam, quæ consecrationem non merentur, Tabulam quisque Presbyter cui necessarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honestissimo, secundum suam possibilitatem honeste affectatam habeat, & nobis ad consecrandum afferat; quam secum, cum expedierit, deferat, in qua sacra Mysteria secundum ritum Ecclesiasticum agere valeat.*

Altaria prædicta in ordine Romano *Tabula itineraria* vocantur, & a Bonifacio VIII. cap. ult. de Privileg. n. 6. *Altaria viatica.*

Altare Capitaneum, sive *Cardinale* erat primum altare in apside, seu fronte Basilicæ ponè majorem aram locatum. Martene de antiquis Monac. rit. l. 2. c. 5.

Altare unigenum, seu *Ara unigena* Græci unicum tantum altare in singulis habent Ecclesiis; & unius tantum altaris meminerunt

Patres, & Historici Græci, Unigenamque hanc Aram vocat Tyrius orator in Panegirico Encæniorum Templi a Paulino Episcopo ædificati, ut apud Eusebium lib. x. suæ Historiæ. Unicum etiam altare esse debebat in Templo maximo Mediolani, juxta mentem munificentissimi Fundatoris.

Altaragium. Oblationes positæ desuper altare. *Assignabatur sexta pars illius æstimationis in obventionibus Altaragiorum*. Paris. in vita S. Gulielmi.

Altitudo ritus. Ritus major, ut primæ, vel secundæ classis, seu, ut ajunt Ambrosiani *solemne*. *Quod si in die Dominico evenerit aliqua festivitas .... tunc illa celebratur, sicut consuetudo, & altitudo ejus exigit*. Ordin. Cassinen.

Altius inclinare, idest profundius, submissius. *Qui dum per Chorum transit* (idest ille, qui Textum Evangelii defert) *omnes altius inclinant illi*. Ordin. Cassinen.

Ama: *Amula*: *Hamula*: *Hama*. Licet vox hæc diversimode scribatur, unum tamen, & idem significat, idest vasculum, seu vascula illa, ex quacumque materia elaborata, in quibus vinum & aqua pro sacrificio continentur.

Archidiaconus suscipit amulas, & refundit in calicem majorem. Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit super colum. Ord. Roman.

Amu-

Amularum deauratarum meminit Anastasius in Gregorio. *In Oratorio amulas deauratas*; & in Benedicto III. *Amulam unam ex Argento*. Agatius etiam in vita Justiniani Imperator: *Amulas sacras, sive vasa historialia, & aspersilla, ex puro auro*.

Ambo: Pulpitus, seu locus, ex quo cantari solet Evangelium. *Interim Diaconus hebdomadarius, rubeis paramentis indutus, collocato libro in medio super altare, dicit genuflexus in gradu Munda cor meum &c. Tunc sumpto libro, prævio Subdiacono parato, & Acolithis cum incenso, & luminibus accensis, ascendit in Ambonem, seu ad lectorile, ubi Passionem cantat, ut infra &c.* Missale Ambrosi. Tit. Feria sexta in Parasceve. Anastas. Bibliot. in Epist. S. Maximi: *Obsecrans, supplicans, expostulans in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super Ambonem contra catholicam Dei Ecclesiam prædicaret*; Apud Cassinenses ex Martene lib. 3. c. 15. super Ambonem legebatur benedictio Cerei. *Diaconus ascendens in Ambonem dicit tribus vicibus alta voce: Lumen Christi*.

Ambrosiana Parochia: Clerus Mediolanesis. *Augebat autem hujus ignis incendium hoc per maximè, quia congregatis quasi ad synodum totius Ambrosianæ Parochiæ Clericis &c.* S. Petrus Damiani in opusc. *Actus Mediolanen.*

Ambrosianus. Pluries in Regula S. P. Benedicti fit mentio *Ambrosiani* dicendi in divino Offitio: ſumitur autem ab omnibus pro hymno: Sanctus enim Ambroſius plures ex illis compoſuit. In diverſa autem ſignificatione accipitur in Calendario, ſeu Ordinario Corbejenſi ex Martene l. 3. c. 26. de antiquis Monach. ritibus. *Quartum verò* (ſermo eſt de Reſponſoriis) *in tribus nocturnis, non ſolùm ex eo tempore, ſed etiam a Paſcha uſque ad Calendas Septembris, Ambroſianum, erit*; & lib.4. c.6. *Quartum Ambroſianum de pluribus Apoſtolis*; & lib.5.c.5. *Cum vero ad Veſperas, vel Laudes cantat aliquis eorum Reſponſorium Ambroſianum &c.* & lib.4. c. 4. *Si verò ſpecialiùs aut pro pluvia, aut pro ſerenitate orandum eſt, in atrio Eccleſiæ S. Mariæ cantent ℟. S. Ambroſij &c. ſqualent arva: ſive, obduſcere polum.*

Ex dictis non abſurdè colligerem diu viguiſſe apud Benedictinos Ambroſianum ritum, licèt non in omnibus, quod ex ſequenti Rituali Beccenſis Monaſterii à Martene lib. 4. c. 2. refertur in hæc verba: *Si verò feſtum Apoſtoli Dominica evenerit in craſtino fiet: commemoratio tamen fiet in ſabbato ad Veſperas de Apoſtolo. Antiphona Cum carnifices: Oratio de Vigilia. Idem porrò obſervabitur cum in feriam ſecundam S. Andreæ feſtum inciderit &c.* Subdit porrò laudatus

Mar-

Martene : *Illud antem maximè notandum est*. Certe Vir Clarissimus haud quaquam hoc dixisset, si Ambrosiani ritus, nullum in Dominicis festum admittentis, nisi D.N. J. C. majorem habuisset notitiam : adhuc enim in Mediolanensi Ecclesia relatus servatur ritus. Ex MS. etiam S. Martialis Lemovicensis ex eodem Martene hæc habentur: Nonis Aprilis : *Hic incipiunt parva Responsoria, quæ dicuntur Ambrosiana*.

Beda in Epist. ad Egbertum Episc. *S. Antistes Ambrosius, hoc, de fide loquens, admonet: ut verba simboli matutinis semper horis fideles decantent*. S. Ambrosium psalendi modum, quem Orientales servabant, in occidentem induxisse, & quidem primò in sua Ecclesià, quem & Damasum Papam statuisse legitur in Romano Breviario, constans est omnium opinio.

Martene sæpe cit. l. 1. c. 2. scribit S. Benedictum multa ex Ægyptiorum Disciplina hausisse, certissimum tamen esse eum *consuetum morem S. Ambrosii in nonnullis ecclesiasticis Offitiis elegisse, ut scribit Amalarius in supplem. de Divinis off.*

Arnoldus de Knisthon Monacus Cistercienfis, lib. 10. de Eventibus Angliæ, scribit Monachos Abbatiæ Molunensis *Ambrosianum ritum exercuisse*.

Amictus prima vestis, quam Sacerdos sacra facturus ritu Romano induit, Ambrosiano au-

tem tertio loco, ex Amalario l.2. c.17. *Est vestimentum, quo colum undique cingitur.* Rupertus Abbas lib. 1. c. 19. *Sacerdos in offitio altaris amictu caput suum obnubit.* Gemma animæ l.1. c. 201. *Hinc Humerale, quod in lege Ephod, apud nos Amictus dicitur, sibi imponit, & illo caput, & collum, & humeros, unde humerale dicitur, cooperit: & in pectore copulatum duabus vittis ad mamillas cingit.* Fiebat autem Amictus ex lino purissimo, ut ex scriptore de ritibus veteris Ecclesiæ sub nomine Caroli Magni: *Sequitur super humerale, quod fit ex lino purissimo.*

Amiculum accipitur pro genere velaminis ad cooperiendum cap.

Amen vox hebræa est, & diversas significationes continet optandi scilicet, & affirmandi, ut ait S. P. Bernardus serm. 7. de Verbis Domini in Cœna Dom. Absoluta oratione cunctus populus respondebat *Amen: Ubi sic cum similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat.* S. Hieron. l. 2. c. 2. Nunc autem ad vitandam confusionem solus minister *Amen* respondet.

In Mediolanensi Ecclesia omnes qui communicant post illa verba Corpus D.N. J.C. &c. respondent *Amen*. Hinc S. Ambrosius lib.4. de Sacram. *Ergo non otiosè cum accipis tu dicis: Amen. Jam in spiritu confiteris, quòd accipias Corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos*

cerdos Corpus Christi: & tu dicis Amen hoc est verum. Et Tertullianus de Spectaculis: *Ex ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere*. Theodoretus in epist. v. ad Corint. e. 1. *Non solus Sacerdos orans offert hymnum, sed etiam qui Amen adjungit*. S. Ambrosius lib. De iis, qui initiantur: *Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem Sanguinis nuncupatur, & tu dicis Amen, hoc est verum est*. S. Augustinus l. 10. contra Faustum c. 10. *Habet magnam vocem Christi Sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur Amen*.

Amphibalum: *Amphibolum*. Vestis Episcoporum propria, aliis autem *Amictus*. *Futuro Episcopo Amphibalum album Paschale relinquo*. Testamentum S. Remigii. Et in vita S. Bonifacii Episcopi. *Lacrymarum ei gratia in sacro non deerat offitio, ut Amphibali summitas, quo caput tegebatur, ex profusione earum madida videretur*.

Amphityron. Cortina, sive velum, quod tendebatur ante altare tempore consecrationis.

Ampulla: Ambulla, Amula &c. Vidæ *Ama*.

Anabole: Anabolasium, Anaboladium, Ambolagium, Anasolagium: sumuntur pro Amictu. D. Ambrosius lib. de Benediction. Patriarch. ubi nos Genesis 49. legimus: *Lavabit in sanguine uvæ pallium suum &c.* ipse legit: *Anaboladium suum*.

Anagnostes idest Lector in Ecclesia, unus ex minori-

noribus Ordinibus. *Patrueles Constantius Gallus & Julianus, Lectorum, quos Anagnostes dicimus, munere aliquamdiu functi sunt*. Glycas.

Analogium: idem significat ac *Ambo* sic autem nuncupatur, quia in eo verbum Dei legitur & annunciatur.

Anaphora Græcè: Latine autem *Missa*: elevationem, sursum elationem, supplicationem, & invocationem significat. Dicitur autem *Anaphora* quia Sacrificium sursum Deo offertur; vel quia adstantes Sacrificio sursum corda ad Deum tollunt. *State cum reverentia, state cum tremore illa elevationis hora... Anaphora enim dicitur, quia rursum ad Deum fertur &c.* Anastasius Sinaita orat. de Synaxi. Et in Liturg. 1. Basilii: *Stemus cum timore, attendamus ad sanctam Oblationem* (græcè Anaphoram) *in pace offerendam*.

Androna. Locus in Ecclesiis assignatus pro Masculis, & mulieribus. Mos enim erat dividendi feminas à viris in Ecclesiis, qui & nunc Mediolani, & præsertim in ruralibus Ecclesiis. *Dum quæmdam pauperem in angustis Andronarum recessibus à Vespilionibus inveniri mortuum contigisset*. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii l. 2. c. 29.

Animetta. Palla linea, quâ calix cooperitur. Vicecomes lib. 7. c. 5. & Fumagallus in expositione Missæ Demetrii Cidonii. Græci

ci *Psichiam*, ideſt *Animam* vocant.

Annale ex Magri, Feſtum primæ claſſis.

Anniverſarium, annua Commemoratio unius, vel plurium defunctorum, vel ex annuo legato, vel ex pia liberalitate proveniens. Dicitur etiam *Annuale*, quia ſingulis annis certà die celebratur &c. vel quia poſt annum ab obitu fieri conſuevit.

Anniverſitas, annua commemoratio Epiſcopi defuncti, vel ejus conſecrationis. *Sed & ne Mauri quondam Epiſcopi Anniverſitas celebretur*. Bibliothec. in Leone III.

Annualis ſolemnitas; illa, quæ ſingulis annis celebrari ſolet. In Corbejæ tamen Calendario hoc titulo ſingulari prænotatur Feſtum Nativitatis B. M. V. ut ex Martene l. 4. c. 8.

Annonciare antiphonam. Præintonare. *Abbas primam antiphonam Laudum ſibi a Cantore annonciatam imponat*. Martene l. 4. c. 1.

Annotinum Paſcha. Dies anniverſaria illorum baptiſmatis, qui anno præcedenti fuerant Baptizati. *Romani annotinum Paſcha, quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitùs apud illos, qui in priore Paſcha baptizati erant, eadem die in ſequenti anno conveniebant ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrabant*. Micrologus de Eccl. obſervat. c. 56.

In aliquibus Sacramentariis manuſcrip. poſt Dominicam in Albis Miſſa particularis aſſignatur cum hoc titulo: *Miſſa in Paſcha annotinum*.

An-

Anvexia : Dedicatio Ecclesiæ : *Differentia magna est Ecclesiarum, quæ consecrantur per Encœnia, quæ dicuntur Anoexia*. Balsam. respons. 338.

Annulus adnumeratur inter insignia Episcopalis ordinis, ut constat ex ordine Romano. *Pontifex ergo annulum portat, ut se sponsum Ecclesiæ agnoscat, ac pro illa animam, si necesse fuerit, sicut Christus ponat*. In quarto Concilio Toletano, can. 27. sancitur, ut Episcopo injustè deposito; tamquam suæ dignitatis signum, restituatur Annulus. Vid. Gemma de antiq. rit. missæ lib. 1. c. 216. Ejus usus Abbatibus per privilegium concessus fuit: Quare Innocentius tertius usum Annuli concedens Fulconi Corbejensi Abbati, ad eumdem scribit. *Inter ceteros siquidem sacramentales ornatus Prælatis Ecclesiarum conceditur annulus, qui est signaculum fidei, juxta quod pater filio revertenti dari annulum in manu præcepit &c.*

Antidoron: Panis benedictus, non tamen consecratus: ex pane enim integro Græcus Mystopartem eccipit pro consecratione, quam Crucis signo obsignat, reliquam vero, Liturgia completa, populo distribuit.

Antimensia, seu *Antimensium*. Quum Græci Altaria portatilia, seu motoria non habeant, illorum vice utuntur Antimensiis, cujus nòminis hæc est ratio, quòd ea habeant loco mensæ, seu altaris, sunt autem Antimensia

sia quidam panni altarium ritu, & vice consecrati, quibus a multis seculis utitur orientalis Ecclesia, quum liturgiam contigit facere in altari non consecrato. *Reperta sunt Antimensia, & fiunt à Pontificibus, quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris mensis, quando permissu Pontificis Oblatio Liturgiæ fit in Oratorio*. Theodorus Balsamon in exposit. can. 31. Concil. Trull. Et Manuel Charitopulus lib. 3. Juris orientalis: *Antimensia non in omnibus mensis poni necesse est, verùm in iis tantum, de quibus nesciatur, an sacrata sint, an non. Antimensia enim locum obtinent altarium, quæ ideò consecrata sunt Antimensia. Ubi scitur altaria consecrata esse, non opus est Antimensiis.*

Antipetasma: Pallium, seu Altaris frontale, in quo Crucis signum ponebatur.

Antiphona: Si ad vim nominis attendatur, nil aliud sonat, quàm cantum reciprocum, seu alternativum. Usus tamen invaluit, ut Antiphonas vocemus breves illas sententias, quas psalmis præponimus, & subjicimus.

Antiphonatim ideoque canere idem est, ac reciprocè psallere. *Hymnum Ambrosianum Te Deum laudamus cum ipso antiphonatim canere cæpit*. In vita S. Caroli. *Ambrosius Episcopus ritum canendi antiphonas in Ecclesia, primus ad Latinos transtulit a Græcis, apud quos hic ritus jam inoleverat ex insti-*

institutione S. Ignatii Antiocheni Episcopi. Sigebert. in Chron. c. 12.

Antiphonista, qui antiphonas cantat, vel præintonat. *Primò hebdomadarios officii: secundò Cantores: tertiò succentores: quartò Antiphonistas*. Ceremon. S. Justinæ.

Antiphonarium, volumen continens totius anni Antiphonas, ordinatum in Romana Ecclesia à S. Gregorio M. ut scribit Berno, c. 1.

Antitypon vox Græca, quæ duplicem potest habere sensum: sumi enim potest pro ipsa Eucharistia, & etiam pro pane & vino ante Consecrationem.

Apalareus, *Apalarea*. Pelvis plana ad similitudinem patenæ. *Pro veræ benedictionis causa direximus vobis Apalareum unum*. In vit. Pontific. editis à Gretsen. Et Anastasius in Sergio. *Hic posuit in absida Basilicæ suprascriptæ sedem argenteam, pensantem libras centum viginti*.

Apex. Mitram significat: ex Gregorio de Rives in declaratione vocum difficilium in Historia sacra.

Apocrisarius Nuntius, seu Legatus. In Monachorum tamen ritibus ex Martene accipitur pro principali Sacrarii Custode, seu Sacrista.

Apologiæ. Harum nomine veniunt preces illæ, sive Orationes, quas Sacerdos sacrum operaturus, sive ex devotione, sive ex Rubricarum præcepto recitat, & quibus, ut ad sa-

crum

crum altare purior accedere possit, se excusat, & purgat, quod licet peccator, & indignus ad sacra Mysteria appropinquare praesumat, & audeat. Has inter Orationes, seu Apologias celeberrima est illa D. Ambrosii, quae incipit *Summe Sacerdos, & vere Pontifex &c.* quam quidam scriptor contra fidem veterum Codicum, ut loquitur Card. Bona lib. 2. c. 1. n. 2. Anselmo Cantuariensi adscribit. Has preces, seu Apologias Protelasticas vocat Georgius Pachimeres, quod ante *Teleten*, sive Sacrificium dicerentur. Has legi solitas fuisse ante Offertorium, cum peracta Missa Catechumenorum incipiebat Missa Fidelium, asserit Menardus apud quem plures legi possunt pag. 242.

Apophoreta. Theca, arca, capsa &c. *Ossa evellens ex cineribus nuperrime defunctorum hominum, sicque impositis in diversis Apophoretis venditabat apud plurimos pro SS. Martyrum, & Confessorum reliquiis.* Radulph. Tungr. l. 4. c. 3.

Apostolia nuncupabantur Templa, quae Apostolorum memoriis erecta erant. *Rufinus Consularis in suburbio Chalcedonis magnam Ecclesiam in honorem Petri & Pauli extruxit. & Apostolium ab ipsis appellavit*. Sozomen. lib. 8. c. 17. Quidam Apostolaeum legunt.

Apostolicus. Quamvis haec vox communiter accipia-

cipiatur pro Summo Pontifice, tamen aliquando significat rem aliquam ad ipsum pertinentem, unde Anastasius in Adriano II. scribit: *Cum Apostolicis infulis celebrantem.*

Apostolus. Omnes Sacramentorum Codices tam editi, quam Mss. post Collectam inquiunt *sequitur Apostolus*, idest Lectio ex Apostolo Paulo. Licet enim ipsa Lectio, seu Epistola ex aliis tam veteris, quam novi Testamenti libris desumatur, seu desumeretur, ut plurimum tamen ex Pauli Epistolis accipitur, ideoque solius Apostoli, dictis in Codicibus fit mentio, quapropter inde orta est nomenclatura *Epistolæ*, quæ huic lectioni communiter tribui solet, licet non ex Epistolis Pauli, sed ex aliis scripturæ libris sit accepta.

Ambrosiani numquam dicunt *Lectio Epistolæ*, sed absolute *Epistola B. Pauli Apostoli &c.* Sectoque titulo Epistolæ Sacerdos obversus ad Crucem dicit secreto *Jube Domine benedicere* sibique protinus benedicens dicit: *Apostolica Doctrina repleat nos gratia divina*. Tum sequitur Epistola. In omnibus autem & singulis Missis legitur, Defunctorum etiam, his tantum exceptis diebus, idest in omnibus Quadragesimæ feriis, illis enim diebus solam lectionem dicunt; in Sabbato autem ante Palmas, quod ab ipsis appellatur *Sabbatum in traditione Symboli*, Epistola legitur. In tribus Rogationum diebus

bus ſolam habent Lectionem ex veteri Teſtamento, ſicut & in Miſſa quotidiana pro pluribus defunctis, quæ ſolam habet Lectionem.

Apotheoſis, vox Græca, quæ licet rigorosè Deificationem ſignificet, ſumitur quoque pro Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum.

Appellus, ſeu *Appellum*, ab appellando, ſeu vocando ſic dictum, erat ſignum, quo Monachi convocabantur, ſeu congregabantur. *Si debeat aliquis infirmus ungi, vel viſitari, eat Conventus in Chorum, & ſonet Appellum*. Conſuetud. Lyræ.

Apportare Proceſſionem. Præparare, ſeu ea diſponere, quæ ad Proceſſionem neceſſaria ſunt. *Secretarius aſſumtis ſecum Converſis, vadit, ut omnia ſigna pulſentur, & apportetur Proceſſio, ideſt Aqua benedicta, thuribulum, & acerra, Crux, atque candelabra &c.* Martene l. 5. c. 10.

Apſis: idem ac *Abſis*: *Abſida*.

Aqua benedicta. In quadam Homilia Leonis Papa IV. de Cura Paſtorali, quæ extat Tom. 4. Concil. p. 34. legitur: *Omni die Dominica ante Miſſam, Aquam benedicitæ, unde populus aſpergatur; & ad hoc proprium vas habete*. In Capitulis Hincmari Remenſis an. 852. c. 5. *Ut omni die Dominico quiſque Presbyter in ſua Eccleſia, ante Miſſarum ſolemnia Aquam benedictam faciat in vaſe ni-*

tido, *& tanto ministerio convenienti*, *de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur*. Puricellus in Monument. Basilicæ Ambrosianæ pag. 1155. *Presbyter ille*, *qui habet septimanam ex illis Monachis*, *qualibet die Dominica vadit revestitus in Chorum B. Ambrosii*, *& ibi facit Aquam sanctam*, *& dat de illa*, *& proijcit ad altare B. Ambrosii in circuitu*, *& postea dat de illa Abbati*. In vita quoque S. Benedicti Anianensis, & ex sec. IV. Benedictin. p. I. *Altare cum reverentia circum eant*, *sanctisque se aquis perfundant*. Vocatur etiam à nonnullis Aqua hæc *Lustralis*; *Sanctificata &c.*

Aquamanile: *Aquimanile*: *Aquamanus*, unum & idem significant, idest vas illud, seu instrumentum, seu pelvis, unde aqua poscentibus ministratur: seu etiam vas illud in quo aqua conservatur pro lotione manuum Sacerdotum, & Ministrorum. Ex Concil. Carthagin. quarto Subdiaconus in sua ordinatione suscipit de manu Archidiaconi scyphum aquæ, cum *Aquamanili*, & manutersio: ad ipsum enim spectabat aquam ad ministerium altaris præparare, ipsamque lavandis manibus Episcopo, Presbyteris, & Diaconis præbere.

Ara unigena: Vid. *Altare unigenum*.

Arca. In monumentis Basilicæ Ambrosianæ à Puricello illustratis pag. 1037. legitur. *Item dixit*, *quod consuetudo est Mediolanensis Ecclesiæ*,

clesiæ, quod Decumani omnes, aut pars major, qui sunt de numero centum veniunt ad Ecclesiam majorem, antequam Missa major ibi incipiatur in Dominicis diebus, & præcipuis festivitatibus ad portandam Arcam & Ideam &c. Idea porrò erat Imago B. Virginis Mariæ, quam gestatoriæ *Arcæ* impositam Ministri suppositis humeris bajulabant ab Ecclesia Himali, ideft S. Mariæ ad Æstivam, idest S. Theclæ, cujus *Arcæ* simul, & *Ideæ* lapideam effigiem nunc quoque videre est præ foribus Ecclesiæ S. Mariæ Beltradis.

Archiacolutus, Acolitorum caput, seu major, *Stephanus Archiacolutus, cum omnibus Acoluthis &c.* Luitpran. lib. 6. c. 6.

Archiparaphonista; idem qui Archicantor, sive Præcentor, Cantorum caput: *Deinde descendit Subdiaconus sequens scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphonistæ, & defert Archidiacono &c.* Ordo Roman.

Archidiaconus, Ecclesiastica dignitas, ab aliis Archilevita nuncupatus, Diaconorum caput. *Qui cum adolescens esset, Choro Diaconorum præfuit.* Theodor. lib. 1. hist. c. 16. Et S. Hieronym. epist. 55. ad Evagrium. *Quemadmodum si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocitent.*

Archiepiscopus, Episcoporum caput, dictus etiam Metropolita, & Metropolitanus, cui totius Provinciæ cura incurabit. Mediolanensis

 Archi-

Archiepiscopus in Italia primus erat post Romanum Pontificem.

Archipresbyter, Præsbyterorum Prior. Archipresbyteratus primus inter dignitates Ecclesiasticas. *Sunt Archipresbyteri in Episcopiis Canonicorum curam gerentes*. Valafr. de rebus Eccl. c. 31.

Archisubdiaconus, inter Subdiaconos prior, de quo fit mentio in Ordine Romano. *Archisubdiaconus levat calicem, & dat eum Archidiacono*.

Archiclavus, dignitas Ecclesiastica cujus meminit quædam subscriptio apud Magri, lit. A. *Signum Arnulphi Archiepiscopi, signum Guarcilonis Archiclavi &c.*

Archichorus, qui Choro præsidet.

Archondica, nomen commune, competens omnibus offitiis, & dignitatibus Ecclesiasticis. *Offitia autem Ecclesiastica dicuntur Archondica*. Can. 7. in Trullo.

Arma Sacerdotalia. Indumenta sacra pro Liturgia celebranda. Magri ex quodam vetusto Codice Rotaldi Abbatis.

Armarius, idem qui Cantor, aut Præcentor, cui etiam incumbebat cura Ecclesiasticorum librorum. Martene in Indice Onomastico.

Armarius quoque accipitur pro Magistro Cæremoniarum, ex Consuetud. S. Benigni ex cit. Martene. *Interim dum offerenda cantatur, accedit ad altare Armarius, ut provi-*

deat

deat de hostiis ministratis a Secretario, & ponat ad consecrandum.

Armariolum, ideſt Ciborium, ſeu Tabernaculum, in quo reponitur, & adſervatur Sanctiſſimi Chriſti Corpus. Ordinarium Caſſinenſe: *Quando Abbas dixerit ſuum Confiteor, ibit ad Armariolum calicum ubi Corpus Domini eſt, ſua proceſſione præcedente ipſum, & aperiet ipſum, & flectet genua, & incenſabit Corpus Domini &c.* In Chronico S. Benigni Divionenſis, ut ex tomo 1. Spicilegii ad annum 1513. legitur, quemdam Theobaldum inſtituiſſe, & fundaſſe luminare in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & per octavas, pro quo poni debent duo cerei *ante Armariola lapidea, in quibus reconditur prædictum Sacramentum, & continuo diù, noctuque lucere.*

Aſella, *Aſcella*: ideſt *Axilla*. *Diaconus ponat manum ſuam ſub Aſella ipſius Celebrantis, ut poſſit expeditius agere*. Liber uſuum Ciſtercien. Et ex Martene l. 2. c. 5. *Diacono ſupponente manum ſub Aſella Sacerdotis, & tenente ei caſulam.*

Aſpatium, *Aſpaticum*: locus in quo Epiſcopus ad altare proceſſurus, ut ſacra faceret, indumenta ſacra accipiebat, & a Clero ſalutabatur, proinde dictum etiam *Salutatorium*. *Poſtquam Theodoſius venit ad Templi ambitum, non eſt ingreſſus in divinum Templum, accedens autem ad Ambroſium Pontificem in Aſpatico,*

patice, *eum rogavit &c.* Theodor. lib. hist. c. 18. *Theodosius inveniens Antistitem Ambrosium residentem in Salutatorio*. Paulus Diaconus l. 13.

Aspergillus. Instrumentum ad porrigendam, & ministrandam aquam benedictam. *Aspergilla ex puro auro, quam plurimos etiam calices*. Agat. lib. 2. Histor.

Assisius Custos Ecclesiæ. *Assisios Pontifex vocat, qui non sunt Canonici, qui servire debent Ecclesiæ, nec vocantur ad omnes tractatus cum Canonicis, & dicuntur Assisii, quasi assidui*. Glossa in epist. Gregorii IX. lib. 3. tit. 14. c. 16.

Asteriscus. Multa habent Græci instrumenta ad usum sacri ministerii, & inter alia *Asteriscum*, ex duobus arcubus ut plurimum argenteis constantem, radiis ad stellæ similitudinem fultum, quo hostias sacras, seu consecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant, & particularum ordinem perturbent.

Atriarius, qui Ecclesiæ atrium custodit, & everrit.

Atrium, seu vestibulum Ecclesiæ, erat spatium clausum, amplum, & quadratum, porticus habens columnis suffultas, sive in uno tantum latere, sive in duobus, vel tribus ante aditum Basilicæ, & desuper cellas extructas. Medium erat sub dio positum, & ante fores Cantharum, seu concha, aquas salien-

ſalientes recipiens ne fideles illotis manibus Templum adirent, ex Card. Bona.

Porro in atrio ſeu porticu, ante fores Eccleſiæ ſtabant pœnitentes primi ordinis, & ſtipem emendicantes, qui tamen non permittebantur intus ab orantibus elæemoſynam petere, ne ſacra facientibus, Deumque precantibus moleſti forent. Chryſoſtom.hom.28. *Ante Eccleſias, & Martyrum monumenta præ foribus pauperes ſedent, ut nos ex hujuſmodi ſpectaculo multum capiamus utilitatis.*

Audientes: Secundus gradus, ſeu ſecunda pœnitentium ſtatio. Morabantur autem intra fores Eccleſiæ, in Propylæo, ubi lectionem ſcripturarum, earum interpretationem, ſermoneſque audiebant, ab illa lugubri, humilique deprecatione abſoluti, quæ propria flentium erat: pro eis tamen nulla erat manuum impoſitio, nullæque orationes, cum illarum capaces nundum eſſent. Hæc porro *ſtatio* dicebatur.

Auditio, quæ præter jam relatos pœnitentes complectebatur, & admittebat Ethnicos, Judeæos, Hæreticos, Schiſmaticos, & primi generis Catechumenos. Pro ratione autem contritionis, & humiliationis citius, aut tardius ab hac claſſe ad tertiam tranſibant. Quos porro *Audientes* appellavimus, nonnulli *Auditores* nominant.

Audientia, *Auditus*. Canere in *Audientia*, ſeu

in *Auditu*, nihil aliud eſt, niſi canere, ſeu recitare alta voce, ut audiri poſſint ea, quæ dicuntur. Ordinarium Corbejen., & Compendienſe ex Martene l. 3. c. 14. jubent, ut Feria Sexta in Paraſceve Pſalmi Pœnitentiales *in auditu*, *& in audientia dicantur*.

Augere Sanguinem. Martene ſæpe citatus, l. 2. c. 4. n. 14. Sermonem habens de Canone uſque ad finem Miſſæ, profert Conſuetudines Mſs. Divionenſis Monaſterii Sancti Benigni, ubi habetur. *Debet autem* (Subdiaconus) *vinum in ampulla juxta eum jugiter eſſe, ut quando opus eſſe perſpexerit, eodem vino Sanguinem augere poſſit*. Quid hoc ſignificet, omnes intelligunt. Num autem recte, an ſecus fieret, ſapientiores diſquirant.

Aula Baſilicæ, erat altera illius pars, ad quam patebat adytus per tres portas, quarum media alias magnitudine, & ornamentis ſuperabat.

Auriphrygium, ſeu *Phrygium*, Mitram ſignificat. Iſidorus lib. 19. origin. cap. 31. *Mitra eſt pileum Phrygium caput protegens*. Dicitur autem *Auriphrygium*, quod auro, ut plurimum contexta ſit.

Authentica. Ambroſiano ritu Feriæ ſecunda, tertia, & quarta poſt Dominicam Palmarum dicuntur Feriæ in Authentica, ideſt majores, ſive privilegiatæ reſpe-

ctu

ctu aliarum Feriarum totius Quadragesimæ. Illis autem tribus diebus adhibetur Color rubeus.

B

BAcile: *Baccile*: *Bacchile*: *Bacinum* unum & idem sonant, ideſt Pelvim, ſeu vaſis genus abluendis manibus, & ad alia ſuſtentanda deſtinatum; Ordinar. Tullenſe *Diaconus indutus alba, ſtola, fanulo, Dalmatica portat Lanceam cum candelâ. Vnus puer portat Bacinum cum incenſo.*

Baja: ſeu *Bacii*: Rami Palmarum, ex Rives.

Bajulus. Hoc nomine appellantur in libro uſuum Beccenſium illi, qui portabant Crucem adorandam. *Bajuli procedentes paullulum dicant alium verſum.*

Baculus Paſtoralis, eſt inſigne auctoritatis, ſollicitudinis, & correctionis Epiſcoporum. Ejus meminit ordo Romanus, & Concilium Toletanum habitum anno 633. Varia autem ſortitus eſt nomina Baculus iſte; quæ ſuo unaquæque loco deſcribemus. Porro hujuſmodi Baculi, aliquando fuerunt argentei, ut ex Teſtamento S. Remigii apud Flodoardum lib. 5. cap. 8. licet ibi Cabuta appelletur. *Et argenteam Cabutam figuratam*: Sauſſajus lib. 2. ſuæ Panopliæ dicit ſe Rhemis vidiſſe eumdem baculum Laminis aureis cooper-

pertum, & cælaturis affabre exornatum. Fuerunt & Cypressini, ut ex epist. 233. & seqq. Stephani Tornacensis: in primo enim Abbas Silvæ majoris ad eumdem Stephanum scribens, ait: *Mittimus vestræ carissimæ Paternitati munusculum indignum dignitate vestra, sed offitio congruum, Baculum videlicet Cypressinum*: & in posteriori ad Episcopum Aurelianensem: *Munusculum vobis mittimus Baculum Pastoralem Cypressinum*. Baculo quoque ligneo usum etiam fuisse, vel cum eodem tumulatum fuisse S. Uldericum Augustanum Episcopum, Mediolani quiescentem constat ex Actis Visitationis ejusdem Basilicæ factæ a Glussiniano anno 1578. Ibi enim, ut ex Puricello in Monumen. Basil. Ambros. pag. 813. sic legitur. *Cum ad arcam inspiciendam jussu B. Caroli eo venissemus anno 1578. invenimus corpus cum Episcopalibus indumentis, quæ tamen ferè subito evanuerunt. Circulis æneis, quibus Baculus Pastoralis ligneus cingebatur, hæ litteræ insculptæ erant: Henrico Higdustaño dilecto filio.*

Baculus ligneus præsertim apud orientales, ossibus etiam, sive ebore connectebatur ut ex Isidoro c. 219. *Hic Baculus ex osse, & ligno efficitur*. Forma tamen Baculi diversa est, non enim est in summitate retortus, seu curvus, sed summa pars definit in globum vel in signum Crucis, vel in lignum litera T. su-

super imposita, vel duobus serpentibus ex ebore ornatur, qui reflexis capitibus se mutuo respiciunt.

Baculi usum Cardinales non habent: est enim, ut diximus, jurisdictionis signum: ideo legitur Marinum Vicarium Romanum in octava Synodo auferri jussisse Photio ingredienti *Baculum*; *Quia* (inquit) *Baculus signum est Pastoralis dignitatis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est, & non Pastor.* Baron. tom. 10. Annal. pag. 427.

Baculo Pastorali cur non utatur summus Pontifex, aut quando desierit illum ferre, si quis quærat, legat Dissertationem historicam Joannis Ciampini.

Baculos quoque, non tamen Pontificales, neque ut dignitatis insignia, gestatos fuisse in Processionibus Rogationum à Monarchis, multis ostendit Martene l.3. c.19. ex Floriacensibus Consuetudinibus. *Parati sunt duo clientes eleemosynarii hinc inde cum baculis, egredientibus singulis baculos porrecturi. Quotiens baculos accepimus, caputia capiti imponimus.* Cur autem baculos acciperent, ea est ratio, quia in his Processionibus nudis pedibus incedebant.

Baculatus, qui procedit vel incedit cum Baculo.

Bastonum Pastorale, idem ac Baculus. Puricellus Monum. Basil. Ambrosianæ pag. 1133. *Si Domnus Abbas cum Fratribus suis, & Capellanis, & Crucibus Ecclesiæ, & cum omnibus*

nibus suis ornamentis, & infula, & Bastono Pastorali, & sceptro regali &c. Citatus Puricellus pag. 418. loquens de Heriberto Mediolani Archiepiscopo, habet. *In Monasterio S. Dionysii, quod ipse fundaverat, extra Ecclesiam sepelitur... Post septem menses, cum vellent Monachi corpus ejus transferre, invenerunt corpus ejus integrum cum oculis apertis, baculum pastoralem summo cum vigore tenentem.*

Bancalia: *Bancalium &c.* ex Durando l. 1. Ration. cap. 3. n. 23. sunt panni, seu tapetia, quæ supra sedes, vel Bancos in choro ponuntur. Statuta Lanfranci. *Sedilia Refectorii, capituli, claustri tegantur Bancalibus.*

Banci autem rigorosè significant *sedem ligneam*. In Pontificali Romano: *Presbyteri verò ordinati retrò Pontificem, vel hinc & inde, ubi magis commodum erit, in terram genuflexi habeant libros coram se super sgabellis, seu Bancis ordinatis.*

Barbatus Frater illiteratus, Conversus, Laicus, sic dictus, quia longam nutriebat barbam. Refertur in vita S.Hermenoldi lib.2. apud Bollandum, sexta Januarii, punitio cujusdam Fratris, ex his, quos *Barbatos* dicimus. Et in vita S. Alberici Abbatis ordinis Cistercien. legitur: *Tumque deffinierunt Conversos, Laicos & Barbatos se suscepturos.* Ipsam porrò barbam Monachis benedictam

fuisse

fuisse constat ex vita S.Godehardi apud Bolland. die 4. Maii, n. 12.

Basilicæ erant Regum habitacula, sive publica Ædificia, in quibus judicia exercebantur, & à Mercatoribus negotia tractari solebant. Hoc tamen nomen Christianorum Ecclesiis tributum est, in ipsis enim, Regi omnium Deo cultus & Sacrificia exhibentur, & æternæ salutis negotia pertractantur. Ad has porrò dedicandas, seu consecrandas, necessarie sunt Sanctorum Reliquiæ, sicut evidentissimum habemus ritum, seu testimonium ex Epist. 54. S. Ambrosii ad Sororem S.Marcellinam sic scribentis, *Cum Basilicam dedicare vellem mihi tamquam uno ore interpellare cæperunt dicentes: Sicut in Romana (Apostolorum scilicet) sic Basilicam dedices. Respondi: Faciam, si Martyrum reliquias invenero*. Invenit autem Sanctorum Prothasii & Gervasii, Martyrum Corpora. Et lib. de hortat. ad Virgines, loquens de Reliquiis Sanctorum Vitalis, & Agricolæ Bononiæ repertis ait: *Munera salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur*.

Basilicarii: *Basilicana*; erant, qui in Basilica Lateranensi per vices inserviebant, seu illi, quibus Basilicæ, seu Ecclesiæ incumbebant; *Ante vestiarium debet Camerarius scopare, & ante Basilicam Basilicanus*. Hildemarus in Regul. S. Benedicti, c. 35.

Bassi-

Baſſinum ſeu *Baſſinus*; Pelvis, ſeu Baſcile &c. *Coram Papa flexis genibus teneat Baſſinum argenteum, in quo ſunt Cineres*. In Cæremon. Dictum etiam Batiolum, Bachile, de quo ſupra, dicitur etiam.

Baucus, & eſt vas pro miniſtranda aqua, ſeu infundenda pro manuum ablutione: *Bacile cum bucali pro manibus abluendis*, Pontific. Romanum. Et Anaſtaſ. in Leone IV. *Baucos inauratos tres*.

Belenterion, quid ſit colligi poteſt ex vita S. Anſegiſi ſec. 4. Benedict. part. 1. p. 365. *Juſſit condere Domum juxta abſidam Baſilicæ S. Petri ad plagam ſempentrionalem quam Conventus, ſeu Curiæ, quæ Græcè Belenterion dicitur appellari placuit: propter conſilium in ea de qualibet re perquirentes convenire fratres ſoliti erant*. Capitulum, ſeu Locutorium. Vid. *Aſpatium*: *Aſpaticum*.

Bena apud Græcos eſt Altare majus.

Benedictio. Multiplices ſortitur ſignificationes, ſeu differentias hæc vox *Benedictio*. Aliquando ſumitur pro Cantico trium Puerorum *Benedicite omnia opera Domini &c.* & in hoc ſenſu accipitur à S.P. Benedicto in ſua Regula. S. Quoque Fructuoſus in Curſu Matutin. ſeu Reg. c. 3. *Duodenis iterum cantatis Pſalmis adeant cubilia, paullumque quieſcentes, gallicinio jam ſonante, recitatis tribus Pſalmis cum Laude, & Benedictione ſua, celebrent offitium* V. Martene pluribus in locis.

Benedictio quoque accipitur pro *Dono* & hoc pacto S. Gregorius M. l. 6. epist. 37. *Benedictionem* vocat munera quædam, seu Sanctorum Reliquias ad se missas ab Alexandrino Patriarcha: *Suscepimus autem Benedictionem S. Evangelistæ Marci &c.*

Benedictio alia est consecrativa, idest illa in qua sacra intervenit unctio, ut in calicibus, patenis, altaribus, campanis &c.

Benedictio alia est Constitutiva, quà res benedicta in sacro constituitur, itaut talis post modum non desinat umquam esse, nec ad profanos usus amplius redire possit, tamquam ad sacrificii, & sacramentorum usum & ministerium destinata, ut Benedictio Corporalium, Tabernaculi, Pixidis, Paramentorum &c.

Benedictio invocativa nullo modo præbet rebus benedictis esse sacrum, sed solum operatur, quòd fideles illis utantur absque periculo incursus dæmonum & etiam cum merito, ut Benedictio comestibilium, domus, thalami &c.

Benedictio alia, datur ex invocatione simul, & precatione mixta, quæ interpellatio dici potest, quæ ex Augustino serm. 7. de Orat. in Eccl. *Licet per hominem, non tamen ab homine datur*: & est illa, quæ post Missæ Sacrificium, & post illa verba: *Sit nomen Domini benedictum*, datur.

Benedictio alia dici potest deprecativa, qualis datur à Sacerdote illi, qui ritu latino Epi-

Epistolam est lecturus, vel Evangelium, & lectiones in Choro recitaturus.

Benedictiones porrò solemniores, idest quæ fiunt majori cum solemnitate, & apparatu sunt Benedictio Candelarum in Festo Purificationis B. Mariæ V. Benedictio Cinerum in initio Quadragesimæ: Benedictio Palmarum, seu Olivarum: Benedictio Cerei in Sabb. sancto: Benedictio Fontis Baptismalis eod. Sabb. &c. Loquendo tamen juxta communem Ecclesiæ praxim.

Benedictionalis est liber continens Benedictionum formas in Missarum solemniis, quæ olim diversæ erant, juxta dierum festorum diversitates. Ex Sacramentario S. Gregorii, & ex Ord. Romano. *Episcopo dicente per omnia secula seculorum, Diaconus accipiat Benedictionalem librum, & conversus ad populum, dicat Humilitate vos ad benedictionem, & Clero respondente Deo gratias, porrigat Episcopo librum &c.*

Ejusdem benedictionis ritum alium ex Missali Vaticano MS. refert Card. Bona Rer. Liturgic. libro 2. cap. 16. hic autem est: *Responso* Amen, *post Orationem* Libera *Pontifex ponit particulam super patenam. Tum Diaconus ad populum conversus Cambucam in manibus tenens, dicit alta voce:* Humiliate vos ad benedictiouem: *& Chorus respondet:* Amen: *& Statim cantat alta voce: Princeps Ecclesiæ, pastor Ovilis tu nos benedicere digneris*

generis &c. Qui plura desiderat, legat Card. Bona loc. cit.

Biothanatus : ideſt violenta morte raptus, ſeu occiſus. *Altera autem die Adrianus præcepit Corpora Sanctorum in foveam altam projici: & Pontifices templorum poſuerunt nomen loci illius ad ſeptem Biothanatos.* Acta S. Getulii, & ſeptem Martyrum. Aldhelmus lib. 1. de Virginit. c. 16. *Extraneus ab Eccleſiæ ſocietate inter Biothanatos reputabitur.*

In aquæ benedictione, quæ aliquibus in Eccleſiis fiebat in Vigilia Epiphaniæ, antequam à Sacra Rituum Congregatione prohiberetur, Sacerdos dicebat: *Sed expellas omnem umbram, omnes machinationes Diaboli, ſive Biothanatorum &c.*

Birrus : *Birrum*: Ex Puricello in monum. Baſilicæ Ambroſ. pag. 454. *Clericale Birrum indumenti fuit genus. Suum igitur & proprium Clerici etiam Birrum Mediolani geſtabant. Birrum verò, vel Birrus videtur fuiſſe quoddam brevius, ac exterius indumentum, quo Brachia tantum & humeri tegerentur. Epiſcopi ſic etiam ſuum, ſed pretioſius geſtabant.* Idem habet Rives loc. ſepe cit. his verbis. *Birrus eſt breve indumentum Clericorum, humeros tantum & brachia tegens: erat ad modum Lucernæ . . . Birro lineo in Aphricana Eccleſia utebantur ſimplices Clerici; ſerico autem Epiſcopi, quæ &*

 Moz-

Mozzetta dicitur. Eodem genere utuntur Cardinales, & Episcopi. Concilium Gangrense can. 12. *Si quis amictu Pallii utitur, & eos qui Birris utuntur despicit, anathema sit.* Et in actis martyrii S. Cypriani: *Exuit Birrum, inde tunicam, & sic in linea expectavit Spiculatorem.* Cit. Puricellus p.453. refert caput 18. vitæ S. Arialdi, scriptam à B. Andrea Abbate Vallis-Umbrosæ in quo hæc habentur: *In eodem denique tempore, defuncto Monasterii S. Ambrosii Abbate, alius Clericus Cancellarius, nomine Ariprandus, Clericale Birrum, eatenus ignominiose delatum reliquit, & hujus Monasterii nomen Abbaticum sibi nafande usurpavit.*

Brachia Sanctorum. Thecæ ex auro, argento, aut alia quacumque materia elaborata, brachiorum formam referentes, in quibus Sanctorum Reliquiæ,& Brachia presertim adservabantur, *supra memorata ornamentorum insignia* (portantur) *Brachia Sanctorum auro & argento involuta: scrinia quædam cum Reliquiis Sanctorum Philacteria, & alia hujusmodi &c.* Consuet.Divionen.

Brachiale, idest manicæ ceratæ, quas induebat Papa in Sabbato sancto, quando baptizabat, ne sacra paramenta madefaceret. *Hoc factò revertitur ad eandem Ecclesiam, ibique exuit se pallio, & induit brachialia cerata, & revertitur ad fontes, & baptizat tres pueros.* Cæremon. Cencii Camerarii.

Bran-

Brandeum . Velum, quod applicabatur Sanctorum Reliquiis, & à summo Pontifice maximo pro dono ad principes mittebatur, quod ita divina implebatur virtute, ut etiam pondere augeretur, ut scissum sanguinem emitteret. S. Gregorius scribens Constantinæ Augustæ lib. 3. epist. 30. *Cognoscat autem Domina, quia Romanis consuctudo non est, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo in pyxide Brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur.*

Significat etiam altaris velum, supra quod celebrabatur. *Et sic Brandeum altaris, quo consecratum Corpus Domini involverat, dividebat.* Chronic. Sigeberti.

Brandones ex Martene in onomastico vocum exoticarum, sunt faces, aut tædæ. In ritibus autem Monachorum. & ecclesiasticis significare solent primam jejunii quadragesimalis hebdomadam, quòd hujus prima die sub Vesperum pueri Brandonibus accensis gestare solerent. Hinc *Dominica in Brandonibus* pro Dominica prima quadragesimæ.

Bucale hic non accipitur pro usitata liquidorum mensura, sed pro illo vase, quo medio, minister Aquam præbet Sacerdoti, quum abluendæ sunt manus. *Bacile cum Bucali, pro abluendis manibus*. Pontific. Rom.

Bucca. Os. *Interea curatur, ut infirmi bucca lavetur, recepturi ipsum Dominicum Corpus. Ipsum autem Domini corpus in vino aquâ mixto intingitur, quo epoto ebibit quoque ablutionem calicis, & si poteſt, ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc calicis &c.* Conſuetud. Cluniacenſes.

Bugia, dicta etiam *Scotula*. Inſtrumentum ut plurimùm argenteum pro ſuſtinenda candela accenſa, & adhiberi ſolet aliquo Prælato ſacra operante.

Burſa vox communis in omnibus miſſalibus, & ritualibus: dicta *Burſa Corporalium*, quia in ea reconduntur.

Burſarius: Theſaurarius Eccleſiæ.

Butto: vas concavum ad lampadis ſimilitudinem, in eo enim ponebatur oleum. *Obtulit in Baſilica S. Petri Buttonem de argento puriſſimo*: Anaſtaſius in Leone IV.

Buxa: *Buxis*. *Buxula*: Arcæ, ſeu capſæ, aut pyxides, in quibus Sanctorum reliquiæ ponuntur. *In buxula lignea recondita fuerunt*. In vita S. Mauri Abbatis: *cum verò abſides & altaria ornata fuerint linteaminibus palleis, capſis, & diverſis reliquiarum crucibus, & Philacteriis, buxis quoque & pixidibus, &c.* Conſuetud. Germaniæ apud Martene l. 3. c. 15. Gallicè *les Reliquiaires*. *Buxus* verò apud cit. Martene in Onomaſtico, dypticum, ſeu tabellam ad ſcribendum ſignificat.

Ca-

C

CAbiscola, ex Magri, *Succentor*.

Cabuca: *Cabuta*. Baculus Pastoralis. *Argenteam Cabutam figuratam*. Flodoardus in Testamento S. Remigii. *Tum Diaconus ad populum conversus, Cambucam in manibus tenens &c.* Vid. supra *Benedictionalis*.

Cadere in faciem: Prosternere se; in terram procumbere: Consuetudines Floriacen. *In Vigilia Nativitatis Domini, quando in Capitulo Nativitas Domini a puero pronunciatur, omnes in faciem cadant*. In mea Congregatione hoc etiam observatur in omnibus pervigiliis B. M. V.

Cadus, vasis genus, Pelvis, Catinus &c.

Calamaucus Vide infra *Camelaucium*.

Calamus, Instrumentum aureum, vel argenteum pro sumendo Christi Sanguine ex calice, alias *Fistula*. *Ornamenta aurea, vel argentea, præter Calicem, & Calamum, quo Sanguis Domini sumitur, non habemus.* Statuta antiqua Carthusianorum. *Pontifex solus communicat super altare sine Ministris, & non cum Calamo*. Daventr.

Caligæ: Communiter sumuntur pro tibialibus licet nonnulli cum sandaliis eas confondant. *Priusquam tamen sandalia pedibus imponantur, Caligis induuntur, usque ad genua protensis, ibique constrictis ... Caligæ quoque*

 jacin-

jacinthini, ideſt aërei coloris. Durand. lib. 3. cap. 8. nunc autem coloris feſto convenientis ſervatur uniformitas.

Calix: vas ſacrum ad Chriſti Sanguinem in eo conficiendum. Salvatorem noſtrum in Calice conſecraſſe, docet Evangelium, cujus autem materiæ, vel formæ fuerit docet Baronius ad an. 34. n. 63. ex Beda his verbis. *Non præterimus tamen dicere, quod Calix ille, in quo Redemptor noſter Jeſus Chriſtus ſacratiſſimam Euchariſtiam conſecravit, ut egregium tantæ rei monumentum, a communi uſu electus, ac ſumma induſtria aſſervatus, adhuc Bedæ temporibus Hieroſolymis videbatur, de quo hæc ipſe lib. de locis ſanctis cap. 2. In Platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua Calix Domini ſcriniolo reconditus per opcrculi foramen tangi ſolet, & oſculari, qui argenteus Calix inde duas habet anſulas, ſextarii Gallici menſuram capit.*

Calicum aureorum & argenteorum uſum, etiam in primitiva Eccleſia probant innumera ex ſacris hiſtoriis teſtimonia.

Calices ligneos ſimiliter aliquando adhibitos, in uſum ſacri Miniſterii conſtat ex Concilio Triburienſi ſub Formoſo, Can. 18. *Vaſa, quibus ſacroſancta conficiuntur Myſteria calices ſunt, & patenæ, de quibus interrogatus Bonifacius Martyr, & Epiſcopus, ſi lice-*

ret

ret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtra lignei Sacerdotes aureis calicibus utuntur. Honorius etiam in Gemma animæ lib. 1. c. 89. ait: *Apostoli, & eorum successores in ligneis calicibus celebraverunt*.

Calices fusiles (a), prohibito ligneo, decernunt Canones editi in Anglia sub Edgaro Rege c. 14.

Calices item lapideos, seu marmoreos in Missa adhibitos fuisse colligitur ex vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium 22. Aprilis: narrat enim Georgius Presbyter ejus scriptor, quod cum Monasterium ab ipso ædificatum argentea supellectili careret, & *vasa* tantum *marmorea* in mysteriis adhiberentur, misit Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum compararet.

Ex Lapide quoque Onychino (b) elaboratos legimus Calices: in Synodo enim Duziacensi edita a Cellotio p. 4. c. 5. inter crimina Hincmari Laudunensis Episcopi hoc numeratur, quod Calicem Onychinum, auro & gemmis ornatum ab Ecclesia sustulerit. Sanctus quoque Berneucardus Episco-

(a) Fusiles *di materia atta a fondersi*.

(b) Onichynus, *pietra che ha il colore dell' ugna umana*.

pus Hildeſeimenſis, ut ex ejus Vita, inter alios Calices, quos Eccleſiæ dederat, unus erat ex *Lapide Onychino*, & alter *Chriſtallinus*. Victor III. Caſſinenſi Monaſterio inter alia duos *Calices Onychinos* donavit, ut ex Leone Oſtien. in fine lib. 3. Chron. Caſſinen.

Onychino Lapidi ſimilis eſt *Sardonix* ex qua gemma Sugerius Abbas ſe altaris officiis Calicem comparaſſe ait in lib. de Geſtis ſuis, cum Regnum adminiſtraret.

Calices corneos prohibuit Synodus Calcutenſis in Anglia ſub Adriano primo c. 10. & Thomas Bartholinus lib. de Medicina Danorum ſcribit penes ſe eſſe Calicem corneum, quo olim in ſacrificio Miſſæ Norvegi utebantur.

Calices vitreos utpote mundiores adhibitos quoque fuiſſe colligitur ex Scriptoribus. Sanctus Gregorius Magn. lib. 1. Dialog. c. 7. ſcribit, S. Donatum Epiſcopum Aretinum & Martyrem, fractum a Paganis Calicem vitreum, quoipſe utebatur in ſacrificio Miſſæ, oratione ſua reparaſſe. Et S. Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum, loquens de Exuperio Toloſano Epiſcopo: *Nihil illo ditius, qui Corpus Domini in caniſtro vimineo, & Sanguinem portat in vitro*. Calicis quoque vitrei fracti, & S. Laurentii meritis in ejus Baſilica reparati Mediolani, meminit Gregor. Turonen. lib. 1. de Gloria Martyrum c. 46.

Cali-

Calices ex ære, vel aurichalco jure prohibiti fuerunt, quia ob vini virtutem, quæ æruginem parit, vomitum provocant.

Calicum picturis ornatorum, seu celatorum meminit Tertullianus lib. de Pudicitia, c. 7. ubi ait: *Procedant picturæ Calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius &c.* & cap. 10. *Si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis.* Et post pauca: *At ego ejus Pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi.*

Calices mediocres. Hujusmodi Calices preparabantur pro oblatione, seu offerenda in Missis facienda, ut ex Udalrico l. 3. c. 12. *In privatis diebus ad Missam matutinalem, quia cuncti offerunt, curet hebdomadarius Aprocrisiarii, seu Thesaurarii adjutor, ut inter Calices mediocres ad hoc solum factos, & inter ampullas cum vino, habeat quinque & totidem patenas cum hostiis ...... ut inde fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi.*

Camboca, Cambuca, Cambuta, Capuita, Cambuta, Baculus Pastoralis, de quo supra.

Camelaucium. Pileus, seu Pilleolus in modum Crucis assutus. *Apostolicus Pontifex cum Camelauco solitus est Romæ procedere.* Anastasius. Dicitur etiam *Camelaucus*, *Camelaugum*, *Camelausium*, qua ex nominum variatione oritur *Camaurus*, solius Summi Pontificis ornamentum.

Cam-

Cambagi. V. Compagi.

Camelarchium. V. Cimiliarchiæ.

Camera. Tectum, ſeu fornix in curvitatem deſinens, ſeu arcus ædificium ſuſtinens. Sanctus Gregorius Turonen. lib. 1. de Gloria Martyrum loquens de Inventione Corporum SS. Gervaſii, & Prothaſi facta Mediolani per S. Ambroſium, hæc habet: *Quando glorioſa Corpora translata in Eccleſiam fuerunt, dum in honorem ipſorum Martyrum Miſſarum ſolemnia celebrarentur, cecidiſſe e Camera tabulam unam, quæ illiſa capitibus Martyrum, rivum ſanguinis elicuerit*.

Camiſia, *Camiſius*, *Camiſium*, ſunt una & eadem res, nec aliud ſignificant, niſi *Albam*. Amalarius l. 2. c. 18. *Poſtea Camiſiam induimus, quam Albam vocamus*. Et Iſidorus lib. 19. Origin. c. 27. *Poderis eſt tunica Sacerdotalis linea corpori aſtricta, uſque ad pedes deſcendens, hæc vulgo Camiſia vocatur*.

Campana. Hic immorandum non cenſeo in quærendo tempus, locum, & a quo primo inventus fuerit Campanarum uſus. Appellantur quoque Campanæ ab aliquibus Nolæ, vaſa fuſilia, vaſa productilia, pelves æneæ, lebetes, æs, æramentum, Clocea, codon, tintinnabulum &c. eas perſonare offitium eſt Oſtiarii, quem decet ſuperpelliceo indutum eſſe, ut ex Concilio Colonien.

3.cap.31.

3. cap. 31. & ex Decretis S. Caroli Archiepiſcopi Mediolani.

Campanarum benedictionem, ſeu ritum eas benedicendi, ſunt qui dicunt a Joanne XIII. originem traxiſſe anno ſcilicet 968. ſed multo antiquiorem eſſe ex ritualibus libris docet Menardus in Notis ad librum Sacrament. pag.207. in Codice enim Rhemenſi tempore Caroli Magni exarato, reperitur formula benedicendi, & ungendi Campanas hoc præfixo titulo. *Ad ſignum Eccleſiæ benedicendum.*

Campana Elæemoſynæ: Campana groſſior utriuſque Campanæ fit mentio in Conſuetudinibus S. Germani, ex Martene. *Poſt lectiones Matutinorum Conventus debet habere duplices Mappas .... Poſt Campanam elæemoſynæ, debet pulſari groſſior Campana propter Nonam.* Hic Campanæ groſſioris nomine venit Campana major: nomine autem Campanæ elæemoſynæ intelligi poteſt ſignum pro refectione datum, ſeu pro caritate, vel pro convocandis pauperibus pro danda illis elæemoſyna.

Cancelli, repagula quædam, quæ altare circumdant, ut Eccleſiaſtici a reliquis ſeparentur. Dicuntur quoque *Balauſtra*: Cencius autem *Rigas* vocat.

Cancellatis manibus incurvari; ideſt, una manu in modum Crucis ſuper aliam poſita. *Dicto Deus in adjutorium meum intende, moroſè,*

tra-

trahendo a Sacerdote, *cancellatis manibus incurventur profundè*, qui ritus observat in Congregatione mea quoties dicitur *Gloria Patri* in Choro, & recitatur Oratio currentis offitiis.

Candela, *Candelæ*. Ritus accendendi candelas aliaque lumina in Ecclesiis, ab ipsis Apostolorum temporibus initium habuit, & jam apud Hebræos vigebat, quibus in Templo lucernæ accensæ erant, & aureum Candelabrum, quod Mediolano Pragam adsportatum, & supra sepulcrum S. Jo. Nepomuceni collocatum legi. Hunc ritum culpabat Vigilantius, dicens: *Prope ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi*. Vigilantio autem respondet S. Hieronymus ostendens eum ritum universalem esse in Ecclesia, non ad fugandas tenebras, sed ad Letitiæ signum demonstrandum. Mycrologus cap. 11. *Justa Romanum Ordinem numquam Missam absque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, sine quo & in meridie palpamus, sicut in nocte*.

Candelæ autem non solum accenduntur rigorosè in Missa, sed & in aliis Ecclesiæ functionibus, juxta earum varietatem, ita ut, quæ in una accendi solent, in alia interdicantur. Sic V. G. in Ecclesia Romana, ejus ritu uten-

utentibus Feria Sexta in Parasceve ad Passionis cantum non adhibentur lumina, quæ tamen in Ambrosiana jubentur accendi, ut ex Rubrica. *Diaconus hebdomadarius, rubeis paramentis indutus, sumpto libro, prævio Subdiacono, & Acolythis, cum incenso, & luminibus, ascendit in ambonem*. In aliis Ecclesiis candelabra ab Acolythis portantur ad Evangelium, in Ambrosiana a Subdiacono in Metropolitana, ut ex Rubricis generalibus, tit. *Ritus proprii Ecclesiæ Metropolitanæ in Missarum solemnium celebratione* ubi habetur: *Cum proceditur ad Evangelium cantandum, non Acolythi, sed Subdiaconus fert Candelabrum accensum, & thuribulum*, & alibi, sub eodem titulo: *In accessu ad Missam incohandam thuribulum, & luminaria non feruntur ab Acolytis, sed a Subdiacono, qui præcedens Diaconum, dextera manu fert candelabrum unum, quod Cantarium vocant, cum candela accensa, sinistra vero, thuribulum fumigans*.

Candelabra quoque, sive alia vasa affabre facta ex auro argento, aliaque materia, in quibus candelæ accensæ ponebantur, antiquissimo ritu in Ecclesia semper fuisse expresse habemus apud Anastasium, & alios frequenter numerantes Pharos coronatos, lampades, canthara, cereostata, lucernas argenteas &c. Lampadis accensæ fit mentio in Rubricis Missalis Ambrosiani, tit. *De*

Sab-

Sabbato Sancto: Ubi fontes baptismales solent benedici, Sacerdos benedicturus cum eodem Pluviali albo procedit ad Fontem, Clero, & Ministris præcedentibus cum Cruce, & lampade accensa.

Candelas illuminare, ideſt, accendere. Ordinarium Caſſinen. apud Martene loc. cit. l. 3. c. 7. Loquens de Candelis benedicendis in Feſto Purificationis. *Tunc illuminentur, & manu Sacerdotis, sive Abbatis.* Et lib. 3. c. 13. §. de Cœna Domini: *Lampada una servetur usque in Sabbatum Sanctum ad illuminandum Cereum.* Et in Dunſtani Concordia: *Candela, quæ more serpentis infixa est, ab illo accendatur, dehinc Cereus ex illo illuminetur igne... Custos accipiat candelam suam illuminatam in cannam... ita ut summitas candelæ, quæ illuminatur &c.*

Candelas tutare, ideſt extinguere. Citatus Martene: *Initio primi psalmi sit Custos paratus... & ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu sua tutat lampadam unam: in fine vero psalmi tutat aliam... & sic ex una parte una, alia ex alia tutatur.*

Canna: rigoroſe loquendo, eſt menſura, qua telam, pannos, & alia metimur. Hic autem & ſupra, ſumitur pro virga, ſeu haſta, ſeu arundine, qua cum (a) goſſypio cerato luminaria Eccleſiæ altius locata accendun-

(a) Goſſypium ceratum. *Cerino.*

duntur : vel ſupra quam erat emunctorium, ſeu inſtrumentum ad candelas extinguendas : vel ſupra quam Candela accenſa ponebatur, ut in Sabbato Sancto. Hujus vocis frequens mentio apud Martene. *Cuſtos accipiat candelam in manu ſua illuminatam in cannam, & pergat proſequente eum populo &c.* Ord. Corbejæ.

Canna quoque, ſive *Cannula* aurea, vel argentea accipitur pro fiſtula, ſeu iſtrumento illo, quo ſugebatur e calice Chriſti Sanguis. *Quia Sanguis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur Canna eſt feruminata* (a) *affabreque inſerta.* Lindan.in Panopl. Evangel. l. 4. c. 36.

Canola, *Canolum* : Brevis canna, in modum arundinis elaborata ex auro, argento, vel alio metallo, in quo includebantur illæ Reliquiæ, quas Summus Pontifex dono dabat principibus perſonis. *Sed cum ejus famam lucidiſſimam, vitamque ſanctiſſimam veram reperiſſet, eum in tantum honoravit, ut & Canolam Sancti Petri Apoſtolorum Principis in ſignum amoris præcipui tribuere dignaretur.* In Vita S. Criſoloi Mart. Hac in Canola in modum clavis facta, limatura Vinculorum S. Petri, incluſa debebat neceſſario eſſe juxta ritum temporum illorum ; hæc autem Canola vocabatur *Benedictio Sancti Petri*, cujus frequens men-

(a) Feruminata. *Saldata*.

mentio in S. Gregorii epistolis. *Canolum* quoque genere neutro reponitur in nonnullis Vaticani Scripturis, in quibus sermo habetur de donariis a Summis Pontificibus factis: & de Nicolao III. sic scribit: *Canolum argenteum ad observandum Corpus Christi.*

Canon Missæ, hoc est regula. Hac porro voce utitur Ecclesia ad indicandum hanc esse regulam fixam, & stabilem, qua novi Testamenti incruentum Sacrificium est celebrandum. Incipit autem ab illa Oratione: *Te igitur clementissime Pater &c.* usque ad Orationem Dominicam, quæ absoluto Canone recitatur. Canon porro in Concilio Eboracensi sub Cœlestino III. *Secretum Missæ nuncupatur: Quia secretum Missæ frequenter invenitur aut scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corruptum, ita ut &c.*

Canon quoque appellatur psalmorum, in choro dicendorum numerus, seu Regula. *Ex in venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magisterio Congregationibus Fratrum generalem Canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decrevit hunc numerum tam in Vespertinis, quam in Nocturnis conventiculis custodiri.* Cassianus.

Canones quoque dicuntur decreta illa, quæ in Conciliis fiunt, sive ea spectent ad fidem, sive

five ad mores, vel ad disciplinam, agendorum enim, seu fugiendorum sunt Regula.

Canonia: Præbenda Canonicalis, seu Beneficium Canonicale. *Dominus Papa vestro interventu privilegium suum Ecclesiæ nostræ indulsit, in quo specialiter expressit Canonias.* Petrus Cellen. lib. 8. epist. 15.

Canonarcha, caput Regulæ, ille autem apud veteres Monachos dicebatur, cui cura incumbebat alios convocandi ad opus Dei. *Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum, ea quippe cura mihi, ut canonarchæ injuncta fuerat, ut excitarem fratres ad collectam* Moschus in vit. PP. lib. 10. cap. 50. Et S. Dorotheus: *Adventabat interea modico intervallo hora vigiliæ, & cum paullulum obdormissem, excitabar a Canonarcha nostro.*

Cantharus sive Cantharium in liturgia Ambrosiana semper significat candelabrum simul cum candela: *dextera manu fert candelabrum unum, quod Cantarium vocant &c.* Rubr. Missal.

Cantharus quoque sumitur pro vase aqua pleno, quod præ foribus Basilicarum ponebatur pro lavandis manibus. Huic porrò lotioni positum fontem in atrio Basilicæ Vaticanæ commemorat S. Paulinus Nolanus, epist. 33. ad Alethium: *Ubi Cantharus ministra manibus, & oribus nostris fluenta ructantem fastigia-*

tus solido ære tholus ornat. Et epist. 12. ad Severum. *Sancta nitens famulis interfluit atria lymphis Cantharus &c.* Sanctus Leo Magnus fontem cum Canthаro ante Basilicam Sancti Pauli extruxit, addito epigrammate cujus hos tantùm versus refero.

Perdiderat laticum longæva incuria cursus,
Quos tibi nunc pleno Cantharus ore vomit.

Cantatorium liber, seu Tabella, in qua scriptum erat Responsorium post Epistolam canendum. *Postquam legerit Cantor cum cantatorio, ascendit, & dicit Responsorium Graduale*. Ordo Romanus.

„ *Canto*: *Cantus &c.* Quo tempore divina celebrari officia cœperint cum suavi vocis „ modulatione patet ex Nicephoro lib. 9. „ hist. c. 16. cujus hæc sunt verba: Cum „ jam per trià à Christo nato secula simplex cantus, seu potiùs recitatio nullo „ modulationis fuco permixta Christi populos nutrivisset, ecce tibi Harmanius „ quidam Bardesani hæresiachæ hæreticus filius, mali corvi malum ovum, cum „ sua prava dogmata musicis numeris includeret, & multi ex Syris propter verborum venustatem, & sonorum suavita-

„ tem

„ tem demulſi, paulatim hæreſes imbibe-
„ rent B. Ephrem, ea re cognita, carmina
„ catholicam fidem reſonantia veneficis
„ Harmonii verſibus oppoſuit, clavo vi-
„ delicet clavum trudens. Eo utique ſuavi
„ vocum ſonorumque flexu accomodata,
„ Syris audienda præbuit, & canenda: ab
„ eoque poſteriores Eccleſiæ Cantores mo-
„ dulorum formulas mutuati, magis atque
„ magis eas auxerunt, & propagarunt.

Cantor: uſitatiſſimum nomen in ritualibus & Miſ-ſalibus, Ambroſianis præſertim: eſt autem Officii nomen, non ordo. *Non oportet præter Canonicos cantores qui ſuggeſtum aſcendunt, alios canere in Eccleſia*. Concilium Laodic. c. 15. Innocentius III. de Myſteriis Miſſæ, cap. 2. *Debent ergo Cantores conſonis vocibus, & ſuavi modulatione concinere*. Eorum autem offitium eſt previdere & quæ cantanda ſunt, & qui cantare debeant, ut omnia ordinatè fiant.

Cantus alterni in occidente primus Author fuit S. Ambroſius, quum perſequente illum impia Juſtina Imperatrice Arriana, populoque in Eccleſia excubante ad ſui Paſtoris defeſionem, ne mœroris tædio contabeſceret, Orientalium pſallendi modum im mediolanenſi Eccleſia introduxit, quem & S.Damaſum PP.ſtatuiſſe legitur in Breviario Romano; altius tamen fuit in Eccleſia canendi Dei laudes initium, quandoquidem de

cantu alternativo loqui videtur Paulus ad Ephes. 5. Tempore Trajani Cæsaris jam consuevisse Christianos Romæ in unum convenientes hymnos canere, psalmos, & cantica habent antiqui Patres Justinus Mart. Tertull. Clem. Alex. Cyprianus, quem ritum a Christo Domino, & Apostolis fuisse præscriptum asserit S. Augustinus Epist. 119. cap. 18.

Canticum de Evangelio: Tria sunt Cantica, quæ in divinis officiis ex Evangeliis accipiuntur; videlicet *Benedictus Dominus Deus Israel*, ad Laudes: *Magnificat*, ad Vesperas, & ad Completorium: *Nunc dimittis*. Cantici porro de Evangelio ad Vesperas, primus omnium meminit S. P. Benedictus in Regula. *Vespertina autem Synaxis quatuor psalmis cum antiphonis terminatur: post quos psalmos Apostoli lectio recitanda est, inde Responsorium, Ambrosianum, versus, Canticum de Evangelio &c.* Hunc ritum porrò universalis Ecclesia recipiens comprobavit. Nomine autem *Lectionis Apostoli*, venit *Capitulum*, & *Ambrosiani* appellatione intelligitur *Hymnus*.

Canticum Archiepiscopi, vel *Sacerdotis* dignioris in Liturgia Ambrosiana, vocatur Responsorium illud, incipiens *Tenebræ factæ sunt &c.* quod cantatur post secundam lectionem ante Passionem fer. sexta in Parasceve.

Capel-

Capellus: Pileus: quo caput tegimus. *Dum defunctus in majorem Ecclesiam portatur, transeunte conventu per medium Ecclesiæ infirmorum, stabant ibidem omnes infirmi, qui de lectis surgere valebant, carne utentes ad unam partem cum capellis in capitibus.* Martene l. 5. c. 10.

Capital, idest Amictus, & quod & primo loco induatur, & capiti imponatur.

Capitergium. Davent: in Cæremon. MS. apud Dominicum Magri, esse ait Linteum illud, quo cingitur caput Episcopi, dum oleo sacro inungitur.

Capiti Lavium. Hoc nomine appellabatur Dominica Palmarum, ea enim die lavabantur capita baptizandorum in proximo Sabbato Sancto. *Vulgus autem eumdem diem Capiti Lavium nominat, quia tunc moris est lavandi capita infantium, qui ungendi sunt, ne observatione quadragesimæ sordidata ad unctionem accedant*. Isidorus lib. 6. Etymolog. c. 18. & Raban. de Institut. Cler. lib. 2. c. 18.

Capitellum: Hujus vocis frequens mentio in liturgia Ambrosiana. Lectio brevis ex veteri, sive novo Testamento, quæ singulis horis Canonicis post decantatos psalmos recitatur: *Ad cujus tumulum beatus Maximus, cum ad Orationem venisset, post effusas preces, dicto etiam Capitello &c.* Gregorius Turonen. de Vitis SS. c. 4.

Et lib. 1. de Miraculis S. Martini itidem Turonensis Episcopi, agens de insigni Miraculo, quo S. Ambrosius in Spiritu adfuit exequiis & funeri S. Martini hæc habet: *Respondens autem S. Ambrosius: nolite* inquit *turbari. Multùm mihi valet sic obdormisse, quia miraculum magnum mihi Dominus ostendere dignatus est. Nam noveritis Fratrem meum Martinum Sacerdotem de corpore egressum fuisse, me autem ejus funeri obsequium præbuisse: peractoque ex more servitio, Capitellum tantùm, vobis excitantibus, non complevi*. Et S. Cæsarius in Reg. ad Virgines: n. 66. *Antiphonæ minores cum allelujaticis suis, & lectiones duæ, hymnus, & Capitellum*. S. Aurelianus: *Lectiones Apostoli, aut Prophetarum duæ Capitellum &c.* Sumitur etiam aliquando Capitellum, ex Martene l. 1. c. 4. pro versiculo, quem veteres *Capitulum* appellabant, & lectionibus subjicere solebant, ut colligitur ex S. Cæsario in regula num. 68. *Ad Tertiam, Sextam, & Nonam seni psalmi, cum antiphonis, hymnis, lectionibus, vel capitellis suis*.

Capitulum, idem ac *Capitellum*. Auctor hujus lectionis ad horas canonicas asseritur S. Ambrosius. Utriusque meminit Martene de antiquis Monach. ritib. loc. cit. *Lectiones ad Primam duas assignat S. Aurelianus, unam de veteri, aliam de novo Testamento, quibus subjun-*

subjungit Capitellum , id est Versiculum , quem antiqui Capitulum appellabant.

Capitium superior Ecclesiæ pars. Martene l. 3. c. 7. Loquens de distributione, & benedictione Candelarum in die Purificationis B. M. V. in Capitio, hoc est in superiori parte Ecclesiæ hoc præstabant.

Capitulata: Lampas, seu candelabrum multorum luminum. S. Augustinus epist. 165. inter vasa ad Ecclesiæ servitium destinata, *Capitulatam, & lucernam argenteam nominat.*

Cappa est vestis Ecclesiastica sola anterioris parte aperta, ab humeris usque ad pedes descendens, quam moderni *Pluviale* vocant. Hujus vocis pluribi meminit cit. Martene. Auctor miraculorum S. Hugonis Abbatis narrat Gulielmum Anglorum Regem eidem S. Abbati misisse cappam pene auream totam, in qua aurum, vel margaritarum, & gemmarum textus apparebat. Ordo Romanus agens de Processione, Episcopi celebraturi, inquit: *Duo Presbyteri, ita ut ad Missam, excepto quod cappis induti sunt, vestiti ministrent ei.*

Successu temporis cappæ significatio ad plures vestes sacras & profanas est extensa, hoc nomine enim utitur Gaufridus Abbas in vita S. Petri Tarantasiensis pro quotidiana Monachi veste cap. 27. *Tolle tibi hanc cappam manicatam*, idest Monachalem cucul-

 lam.

lam. Et Cæſarius Ciſtercien. lib. 1. Dialogor. c. 38. pro veſte communi ſecularium: *Videntes illum cappa trita atque vetuſta indutum, æſtimantes eum ſcholarem pauperem & vagum, ſuſcipere noluerunt.*

Cappa etiam pro habitu & veſte Summi Pontificis dicta fuit a Petro Damiani lib. 1. epiſt. 20. ad Cadolaum Antipapam. *Habes juxta morem Romani Pontificis cappam rubeam.* Et demum lib. 4. cap. 127. *Cappa propria veſtis eſt Cantorum.* Sunt & Cappæ Cardinalium, Epiſcoporum, & Canonicorum, quibus induti Choro interſunt. Canonici omnes Ordinarii Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolani, non ſolum viginti, ut ſcribit Magri, olim dicti *Cardinales*. Cappis rubeis utuntur.

Cappæ, *Groſſulani Mediolanenſis* Archiepiſcopi meminit Puricellus in monum. Baſil. Ambroſ. pag. 502. loquens de illo judicio Groſſulanum inter, & Liprandum. *Et illico* (Liprandus) *in conſeſſu eorum apprehendit cappam Groſſulani, ipſamque quaſſavit dicens: Iſte Groſſulanus, qui eſt ſub iſta cappa, & non de alio dico eſt ſimoniacus.*

Cappella, Oratorium, ſeu parva Eccleſia. Hincmarus Rhemenſis in Capitulis editis anno 12. ſui Epiſcopatus ſic ſancivit. *Si neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſiæ, vel Altaria conſecrentur, & in Cappellis etiam, quæ conſecrationem non merentur.* Hujus nomi-

nominis Etymologiam habemus in gemma lib. 1. c. 28. *Antiqui mobiles Ecclesiolas in itinere de pellibus caprarum factàs habebant, quas inde Cappellas vocabant.*

Cappellanus. Hæc vox non a Cappellis, sed a S. Martini Cappa, quam Reges Galliæ in exercitu portare solebant, originem habuit. Sacerdotes enim, qui hanc servabant. *Dicti sunt primitus Cappellani a Cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere; quam ferentes, & custodientes cum ceteris Sanctorum Reliquiis Clerici Cappellani cœperunt vocari*. Valafrid. de reb. Eccl. c. 31. & Honorius in sermone S. Martini. *Custodes illius Cappæ, usque hodie Cappellani vocantur*. Hic porro titulus ampliorem nunc habet significationem, accipitur enim pro Sacerdote, cui, incumbit onus in certa Ecclesia, vel Altari celebrandi.

Capsa, *Capsella*, Tabernaculum, seu Ciborium, in quo reponitur Sanctissimum Christi Corpus: *Sacerdos hebdomadarius in pro festo hujus diei duas consecrat hostias magnas, quarum altera recondatur in monstrantia ad hoc aptata, cum vitro perspicuo, & includatur Capsellæ, in qua Corpus Domini pro infirmis conservari solet*. Martene loc. cit. lib. 3. c. 25.

Capsella, *Capsa* vocata a Durando. Et ordinarium

rium Rursfeldense ex eodem Martene : *Abbas . . . ascendit ad locum, in quo reconditum adservatur hoc Venerabile Sacramentum, ac premissa venia monstrantiam extrahat de Capsella*. Et infra : *Data benedictione cum Sacramento, ipsum includat intra capsellam suam*.

Capsa: Arca, Feretrum ubi reponuntur Sanctorum Reliquiæ processionaliter ferendæ. *Conventu ingrediente in Ecclesiam, subtus capsam S. Mauri, nos transibimus per sub ipsam capsam, & osculabimur*. Consuetud. Floriacen. Item Martene lib. 4. cap. 8. *Finita Missa quatuor Presbyteri a Sacrista rogati, in albis, & stolis reponant feretrum S. Apti in Cassia sua*.

Capsa Evangeliorum. Textus Evangeliorum, seu Evangelia in arcis, seu thecis custodita. Refertur in vita S. Aicadri Gemeticensis Monasterii Abbatis, secul. 1. Benedictin. p. 961. quod Ansoaldo Episcopo cum Sancto Philiberto Quinciacum veniente, in eorum Sanctissimo adventu, Abbas & totius Cœnobii familia cum Capsis Evangeliorum occurrerit.

Capsum. Gregorius Turonen. in descriptione longitudinis, & latitudinis Ecclesiæ, ait: *Fenestras in Altario triginta duas, in capso viginti columnas* lib. 2. c. 14. ex quo deducitur latitudinem significare voluisse: Capsum enim proprie vas Ecclesiæ significat.

Caput

Caput Processionis : Initium processionis, seu illi a quibus Processio inchoatur. *Præcedant ad caput Processionis Ministri cum cruce, absconsa, thuribolo, & aqua benedicta*, lib. usum Cistercien.

Caput jejunii, seu Initium Quadragesimæ nuncuparunt veteres nostri quatuor illos dies Dominicam primam quadragesimæ præcedentes, eò quod illis jejunarent diebus. *In Capite jejunii inchoatur, ut nec ad nocturna, nec ad horas capitulum, quàm quod de jejunio sit, dicatur*. Udalricus lib. 1. c. 60. Ambrosiano tamen ritu initum sumunt jejunia feria secunda post primam Dominicam Quadragesimæ, quæ appellatur: *Dominica in capite Quadragesimæ*. Hunc porrò morem qui adhuc Mediolani viget, incohandi scilicet jejunium quadragesimale feria secunda post primam Dominicam quadragesimæ, antiquitus quoque servabatur in Romana Ecclesia, nec dum enim invaluerat sub exordiis Pontificatus S. Gregorii Magni mos illud incipiendi in feria quarta præcedenti, ut fidem facit homil. 4. in Evangel. quam ad hujus rei probationem profert ipse Amalarius lib. 1. de Officiis cap. 7. Non est tamen improbabile, ut ait Cabasutius in notis ad Can. 26. Concil. Aurelianen. I., an. 517. Magnum Gregorium sub finem vitæ suæ constituisse, ut feria quarta post Quinqua-

quagesimam, quæ nunc invaluit consuetudo, jejunium aperiretur: cum ipsius Gregorii sacramentarium hanc feriam quartam caput, ac initium esse jejunii affirmet.

Cardinales Mediolanensis Ecclesiæ: iidem, qui nunc dicuntur Canonici ordinarj. Horum frequentissima mentio in histor. Mediolan. *Faciant Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi Cardinales de ordine S. Mediolanen. Ecclesiæ.*

Ex Testament. Ariberti Archiep. anno 1034. apud Puricellum loc.cit. pag. 368. & pag. 481. ex Epist. Anselmi Mediol. Archiep. data Idib. Julij 1100. *S. Mariæ Cardinales ibi adveniant reverenter cum processione*, & pag. 566. ex quadam sententia data anno 1123. *Die Sabbati, qui est primus dies mensis Septembris, civitate Mediolani, in curte Cardinalium majoris Ecclesiæ, juxta Tribunam S. Stephani, qui dicitur ad Fontes, tempore Domni Olrici Archiepiscopi S. Mediolanensis Ecclesiæ, in præsentia Cardinalium prædictæ S. Mediolanensis Ecclesiæ.*

Carnis privium. Hoc nomine appellabatur Dominica Quinquagesimæ, sequenti enim die multis in locis, & præsertim apud Monachos jejunium quadragesimale initum sumebat. Mozarabes vocant *Dominicam ad carnes tollendas*: & alii *Dominicam excarnaliorum*.

Casu-

Casubula: *Casucula*: *Casula*: eamdem habent significationem, ideſt poſtremum Sacerdotis operaturi indumentum, quod nunc *Planetam* dicimus. Conc. IV. Toletan. c. 27. *Presbytero in ſua ordinatione Planeta datur, quæ idem eſt, ac Caſula*. In vita S. Popponis apud Bolland. 25. Januarii. *In celebratione Miſsarum Caſubulam, qua induebatur, lacrymis humectabat*. Bleſſenſis ſerm. 41. *Planeta, quæ & Caſula dicitur, totum te circumdat & protegit, & ceteris ſuper eminet*. Rabanus *Septimum Sacerdotale indumentum, eſt Caſula, quæ ſicut caſa quædam, alia omnia tegit*.

Caſtrum doloris, aliis Repræſentatio corporis, eſt ille tumulus, qui in exequiis defunctorum ſolet erigi.

Catecheſis Inſtructio: quare *Catechiſta* Catechumenorum Magiſter, ſeu Inſtructor, ſeu Doctor Audientium appellabatur.

Cathecumenus porrò idem eſt, ac *Auditor*. Ven. Beda lib. 2. Commentar. in Eſdram, illos nuncupat novæ vitæ Auditores, Et Iſididorus lib. 7. origin. cap. 14. *Catechumenus dictus pro eo, quòd adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptiſmum accepit, nam catechumenus Græcè Auditor eſt*.

Catechumenum, ſeu *Catechumenæum* locus pro Catechumenis in Eccleſiis aſſignatus, vel locus, ubi catechumeni in fide inſtruuntur. *Fuitque illi mater ſpiritualis Sancta Domi-*

na Romana Diaconissarum, quæ accipiens eam duxit in catechumenum. Vit. S. Pelagiæ c. 8.

In Rubricis Missalis Ambrosiani. Tit de Sabbato Sancto: *Interim si in Metropolitana aliqui sunt per Archiepiscopum baptizandi, dum præcedentes lectiones cantantur, per Archipresbyterum fiunt Catechismi baptizandorum, & Exorcismi in valvis Ecclesiæ, & introducuntur.*

Cathedra sumitur pro Ambone, seu Pulpito, ex quo Episcopus concionabatur; unde Ecclesia Cathedralis sic dicitur a Cathedra: in præsens autem accipitur pro sede illa pontificali, in qua Episcopi inter missarum solemnia, vel in aliis functionibus sedere consueverunt.

Cathedra porro ista in Basilica Ambrosiana Mediolani marmorea erat, ut ex laudato Puricello pag. 181. ubi ex Auctore Chronici prænotati Flos Florentinorum hæc inter alia habet: *Tunc duo de Cottis Portæ Novæ, induti Cottis albis debent Imperatorem ponere super Cathedram marmoream, quæ est post altare S. Ambrosii.* Subdit verò laudatus Puricellus: *Ea nimirum est Archiepiscopalis, de qua nos dicere instituimus.* Hactenus de usu, quo Archiepiscopalis illa sedes eidem Imperatori deserviret. Ad hoc evincendum & comprobandum in medium affert Acta Visitationis factæ a D. Carolo anno 1566. in

in quibus inter alia hæc leguntur. *In choro dictæ Collegiatæ adest Sedes Archiepiscopalis, ubi quamplures habentur superstitiones, maximè à mulieribus prægnantibus.* Quæ nam verò forent istæ superstitiones, innuit. *Etenim hæ sine doloris sensu se parituras confidebant, si appropinquante pariendi tempore, semel ei potuissent insidere; quamobrem summa sollicitudine hoc etiam curabant.* Cathedram Summi Pontificis in primitiva Ecclesia fuisse marmoream constat ex Platonia S. Sebastiani ad Cattacumbas, ubi adhuc in presens extat Catthedra in qua S. Stephanus hujus nominis primus dum sacra celebraret Mysteria a supervenientibus Sattelitibus troncato in odium Fidei ipsi Capite Pontificatum suum nobili decoravit Martyrio. *In sua Sede caput abscinditur*: Brev. Rom.

Cereus Paschalis. Hujus Cerei benedictio sicut antiquissima est, sic & diversimode fiebat præsertim apud Monachos, ut ex Martene l. 3. c. 15. In Ecclesia autem Ambrosiana licet conveniat cum Romana usque ad illa verba. *Cerei hujus laudem implere perficiat*, in subsequentibus tamen omnino discrepat. An autem Cereus iste benedicatur, vel consecretur, videndus V.C. Franciscus Maria Cardin. Brancatius in suo tract. de *Benedictione Diaconali*, pag. 273.

Cereus fortior, idest major. *Armarius unum defor-*

fortioribus cereis ad opus Diaconi eligit. Ord. Corbejense apud Martene.

Cerostanda, *Cerostata*. Candelabra, quæ per se stant, vel in quibus cerei stant, aut in manibus portantur. *Feria tertia in Albis, quando Monachis major festivitas est, descendent omnes e sursum cum thesauro Cerostandis, crucibus &c.* Codex Cassin. apud Martene l. 1. c. 27.

Cessatorium, signum, quod dabatur Monachis, ut ab opere manuum cessarent. Regula Magistri cap. de *cessatorio Dominicæ*.

Chora: *choræ* sunt distinctiones psalmorum, singulæ tres psalmos cum una antiphona continentes. S. Donatus c. 75. Regulæ, in duas partes æquales annum dividit, ab uno æquinoctio ad aliud: quo tempore, idest ab æquinoctio autumnali ad illud veris, duodecim choras, hoc est psalmos triginta sex cum duodecim antiphonis, dicendas statuit: ab æquinoctio veris ad autumnale octo tantum choras, idest viginti quatuor psalmos, cum antiphonis octo. Vid. Martene in onomast.

Ceroferarius, Acolytus sic dictus, quod candelabrum, seu cereum ferat. *Cum enim ab initio rerum nostrarum ordinem fuisse constet in Ecclesia Ceroferariorum Clericorum qui & Acolyti dicantur.* Baron. tom. 1, Annal.

Ceroferalium, Candelabrum dictum etiam *Ceroferarium*. *Accensisque super cruces cereis, atque ceroferariis*, lib. Hist. Remen. cap. 19.

cap. 19. *Illis vero ceroferalia deportantibus &c.* Acta S. Sebastiani Martyris.

Chirothecæ : Latinè *Manicas* significant. Sunt autem ornamentum proprium Episcoporum. Ordo Romanus agens de Consecratione Episcopi, hanc orationem dicendam præscribit, quando electus induitur Manicis: *Immensam clementiam tuam rogamus omnipotens Deus, ut manus istius famuli tui fratris nostri sicut exteriùs obducuntur manicis istis.*

Chirothecarum usum in Missæ Sacrificio in usu fuisse ab ipsis SS. Martini & Ambrosii temporibus aperte colligitur, ex illo insigni miraculo a Gregorio Turonensi enarrato hoc pacto. *Hic* (idest S. Ambrosius) *super altare dormiens inter Lectionem, & Epistolam per spatium fermè trium horarum in Ecclesia Mediolanensi, Turonis sepulturæ S. Martini adfuit Cappa serica indutus, corpus B. Martini sepelivit, ubi Chirothecam dimisit Pontificalem. Tamdem à somno excitatur &c. Quòd posteà compertum fuit, quòd totus populus Turonensis ipsum oculis suis viderat ipsa hora, & Chirothecam ibidem.*

Chrismale licet communiter accipiatur pro velo, quo tegebatur sacri Chrismatis Vas, à Beda tamen in suo Pœnitentiali sumitur pro Corporali, seu pro illo panno lineo, quo sacrum Christi Corpus excipie-

 batur,

batur, *Qui in plebem suam Chrismale perdiderit, quadraginta dies pœniteat.*

Chrismon: quid significet, & ad quos inserviret usus lapis iste, cum Christi Monagrammate insculptus, legendi sunt Beroldus, Landulphus, & P. Allegranza, qui de hoc diffusè agunt. Servatur adhuc in Metropolitana Mediolanensi retro majus altare prope Sacrarium meridionale.

Chirosemantra, seu *Semanteria* sunt Mallei, seu ligna, queis Græci, aliæque Nationes sub Turcarum jugo gementes utuntur ad convocandos fideles ad Synaxim. Ea describit Allatius in tract. de recent. Græcorum Templis. *Sacerdotes Græci ligneo instrumento ad Græcos in Ecclesia convocandos utuntur, Id est lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quàm optime dedolatum non fissum, aut rimosum quod manu sinistra tenens medium Sacerdos, vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde trascurrens, modò in unam partem, modò in alteram, propè, vel eminus ab ipsa sinistra ita lignum diverberat ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extensum edens perfecta musices scientia auribus suavissime modulatur.*

Chlamis coccinea: Chlamis rubea, sic dicta Cappa, seu habitus ille, quo inducitur Papa

Papa in defunctorum exequiis .

Ciborium ex Martene in Onomastico, *Altaris tegimen, & umbraculum, quatuor columnis innixum*, in quo veteres cereos accendere solebant : *Praeterea accenduntur ad cantica incaepta, quinque cerei de cirio, usque ad finem Matutinorum ardentes*. Consuetud. S. Benigni. Vidend. Mabillonius in Comment. praevio ad Ord. Roman. tom. 2. Musaei Italici.

Ciborium quoque communiter accipitur ab Ecclesiasticis, pro Tabernaculo, in quo Christi Corpus caelestis cibus adservatur . *Ciborium ex argento purissimo &c.* Anastasius in Leone Tertio.

Cicendulus: Cicendula: Cicendulum, Cicindilia nihil aliud significat, nisi lampadem, lumen, seu candelabrum . *Inter organa vatum, & ardentes cicendulas &c.* Fulbertus Carnoten. epist. 68. & Gregorius Turonen. lib. 4. c. 31. *In sacrarium sub velo transiens cicendelem extinguere voluit*. Mediolani in Ambrosiana Basilica legitur epitaphium cujusdam Lanterii, qui anno 1154. multa legavit eidem Basilicae, diversis tamen sub oneribus, inter quae: *Ipsi perpetuò super hoc sepulchrum Cicendulum accendant. Quotidie in Quadragesima minore cicendulam ardere faciant supra sepulchrum* . Hujus nominis etymologia porrò desumitur à *Cicindela*, ex mu-

ſcarum genere noctu lucens, quam alii *Noctilucam*: alii *Notedulam* vocant. Ab hac itaque lychnus penſilis, quem vulgò *lampadem* vocamus, Cicindela appellatur, quia tota nocte ſervatur accenſa.

Cidaris. Mitra, ex Alcuino.

Cimiliarcha: Theſaurarius, ſacrorum Vaſorum Cuſtos: Sacrario Præfectus, dignitas Eccleſiaſtica, & præcipuè in Metropolitana Mediolanenſi jam dudum collata Illmo ac Rmo D. D. Innocentio Herba Odeſcalcho: In clero porrò ſeculari Mediolani bini olim erant hoc nomine inſigniti; in Metropolitana S. Mariæ majoris unus: alter in Ambroſiana, ut ex Puricello pagina 791. Pergit porro cit. Auctor enarrare modum quo inſtituebatur hic ſecundus: inſtituebant autem ſub hac verborum formula: *Tollite claves, & Dominus permittat vos benè regere ad honorem Dei, & hujus domus, & beatorum Ambroſii & Protaſii & Gervaſii*, Officium ſiquidem hujus Cimiliarchæ hoc erat, ex eodem Puricello ex variis proceſſibus & teſtibus ibi aductis: *Tenere claves ornamentorum & Palliorum Eccleſiæ S. Ambroſii, & librorum, & Planetarum, & ornamentorum, maxime Canonicorum, & imperare Cuſtodibus ut occludant, & aperiant Eccleſiam: & recipere ducentas libras olei quas dat Dominus Archiepiſcopus, & libras viginti quatuor ceræ,*

& li-

& libras duas incensi quam ceram & incensum dat similiter in anno Dominus Archiepiscopus: & facere ornare Ecclesiam & altaria sancti Ambrosii diebus congruentibus: & aperire, vel facere aperiri Altare (majus scilicet, & aureum) *vel per se, vel per Nuncium, suum, & recipere oblationes, quæ fiunt in Ecclesia, & dividere per Canonicos, & assignare, sicut tenetur.*

Cimiarchia: *Cimilarchium*; *Cemelium Cimilium* locus, in quo scrinia arcæ, thesaurus Ecclesiæ, sacra supellex adservatur, & custoditur. *Res autem, quæ apud eum inventæ sunt, in Cimiliarchio Ecclesiæ tuæ servari modis omnibus studebis.* Sanctus Gregor. lib. 1. epist. 10.

Cinerarium ex Magri, Vas, seu theca, in qua conservabantur cineres, seu ossa Sanctorum, ideoque & ossuarium dictum.

Cinis: Cineres ritu Romano benedicuntur in feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ ritu autem Ambrosiano prima die Rogationum juxta eumdem ritum. Ritus porrò diversos observatos olim in hac benedictione, vide apud Martene suo loco.

Cingulus, *Cingulum*, *Cingulum brachiale &c.* Ne alba defluat gressumque impediat, eam cingulo stringimus. In lege vocatur Baltheus, & à Græcis Zona. *Cingulo pro arcu se cingit* Gemma lib. 1. c. 83. *Brachiale*

chiale autem dicitur, quòd deficiente cingulo, manipulo uti possumus; ideoque & Cinticulum Sacerdotale nuncupatur ab aliquibus.

Clamor pro tribulatione intra missarum solemnia. Quomodo fieret, hic clamor, quique forent ejus ritus, docet Martene loc. cit. pag. 869. ex consuetudinibus Farfensibus hoc pacto,

Ad Missam principalem jam dicta Oratione Dominica, ministri Ecclesiæ cooperiant pavimentum ante altare cilicio, & desuper ponant Crucifixum, & Textum Evangeliorum, & Corpora Sanctorum: & omnis clerus in pavimento prostratus jaceat, canendo psalmum. Ut quid Deus repulisti in finem, sub silentio. Interim duo signacula percutiantur ab Ecclesiæ custodibus solusque Sacerdos stet ante Dominicum Corpus, & Sanguinem noviter consecratum, & ante prædictas reliquias Sanctorum, & alta voce incipiant hunc clamorem dicere: Ostende nobis Domine &c. (sequuntur preces) *Quo clamore facto reportentur reliquiæ suis locis & dicat Sacerdos sub silentio collectam: Libera nos &c.*

Clarificare responsum. Præintonare, seu incipere Responsorium. *Hebdomadarius Melodiæ primum clarificet Responsum: reliqua vero Responsoria a junioribus ad priores derivare debent.* Martene lib. 2. c. 1. cui consonant sequen-

ſequentia: *Primum Reſponſorium Cantor concinere debet*.

Claſſicum: Hæc vox ſæpiſſimè legitur apud Martene, & ſignificat omnium Campanarum pulſationem, quam & *Glaſii* nomine indicare ſolebant.

Ciriaca ſeu *Cyriaca*: vocatur Eccleſia a multis ſcriptoribus. *Sic etiam Cyriaca, idest Dominica a Domino nuncupatur, quia Domino dominantium in illa ſervitur*. Valafrid. de exord. & incremen. Eccl. c. 7.

Circulus, oſtia, a forma rotunda, quam habet, ſic autem appellatur a Severo Alexandrino in expoſitione Miſſæ.

Clericus nomen commune omnium inferioribus Eccleſiæ Miniſtris, uſque ad Subdiaconatum.

Clericus parvulus forſitan ſola prima tonſura initiatus: Puricellus monum. Baſil. Ambroſ. pag. 428. refert Teſtamentum Tadelberti confectum an. 1053. in favorem Ambroſiani monaſterii, ubi inter alia habetur. *Magiſtro ſcholarum ſex denarios: uni Lectori qua tuor: alteri ſimiliter: ei vero, qui cantat pſalmellum, denarios duos: aliis parvulis clericis cantantibus in choro panem & vinum ſecundum conſuetudinem feſtivitatum.*

Clerici pauperes. Clerici illi, qui feria quinta in Cœna Domini pro faciendo Mandato vocati fuerant. Conſuetud. S. Germani *Hebdomadarius Miſſæ matutinalis ibit celebra-*

tum ad altare sanctæ Crucis, quam Missam una cum Ministris in Vincentiano Monasterio cantabant pauperes clerici.

Cliens: servitores famuli. *Ad egressum Ecclesiæ parati sint duo clientes elæemosinarii, hinc inde cum baculis, egredientibus singulis singulos porrecturi*. Consuetud. Floriacen.

Clinici erant Catechumeni, qui prætextu salutis æternæ tamdiu rem ipsam salutis procrastinabantur, ut nonnisi in ultima infirmitate baptismum vellent suscipere, dicti etiam *Lecticarii*. Canon 12. Neocæsarien. Concilii an. 314. illum a Sacerdotio excludit, qui ægrotans fuerit *Illuminatus*, ideſt baptizatus, eò quia per accediam, & salutis animæ suæ neglectum in id temporis baptismum distulerit. Cornelius quoque PP. an.255. in epist. ad Fabium Antiochenum, relata ab Eusebio lib. 6. hist. eccl. c. 35. diserte asserit Novatianum non potuisse consecrari Episcopum, quia non licet baptizatos in lecto assumere in clerum.

Clino: verbum raro usurpatum: Inclino, saluto &c. *Eunti* (Abbati) *& redeunti. omnes inclinent, qui cum ad sedem suam reversus fuerit clinet, & cum eo omnes*. Ritual. Beccense.

Clocca : ***Cloca*** : Campana: S. Bonifatius Moguntin. Episcopus & Martyr, epist 9. rogat Huctbertum Abbatem, ut *unam sibi Cloccam trasmittat*. *Cloccæ* quoque, & *Clocarii*

rii mentio apud Puricellum in Monum. Basil. Ambrof. pag. 471. ex Instrumento confecto anno 1143. *De Clocario vero ita dixit jam dictus Anselmus: Ut prædictus Præpositus, & Canonici a modo in antea permaneant taciti & contenti. De Clocis vero ita dixit. ut prædictus Abbas det eidem Præposito & Canonicis unam Clocam in Clocario novo, seu veteri, quo voluerit ipse Abbas de illis mediocribus, quæ modo sunt in Clocario. Etsi Abbas noluerit eis dare unam de suis Clocis, Præpositus emat unam de eadem mensura, & Abbas faciat eam mittere in suo Clocario.*

Clocæ ne baptizarentur, sumpto rigorosé baptismo, vetuit Capitulare Caroli Magni.

Clocarum seu *Cloccarum* idest *Campanarum* benedictionem nonnulii referunt ad Jo. XIII., qui anno 968. magnam in Lateranensi Basilica, campanam fecit, cui & suum imposuit nomen: ideoque ex vulgi errore campanæ dicuntur baptizari, qui illas benedicit eisdem alicujus Sancti nomen imponit, Sed multo antiquiorem esse Campanarum benedictionem vide supra, V. *Campana*. Apud Martene *Glocca* pro Cloca, aut Campana reperitur.

Cochleare: *Cochlear* Latinis, Græcis autem *Labida*. Cochleari porro utuntur ad Communionem fidelibus ministrandam. Cochleare quoque etiam adhibebat Sacerdos pro ponenda

nenda aqua in Calice, ut ex ordinario Bursfelden. apud Martene l. 2. c. 4. *Diaconus ministrans panem super patenam, & vinum in Calice . . : . misceat Abbas per se, & fiat mixtura cum parvo cochleari in omni missa:* & infra: *Presbyter sumpto parvo cochleari paululum aquæ similiter infundat.*

Codo a nonnullis nuncupatur campana: Unde *Codonophonus*, qui præit personando campanam, aut illam pulsat. Magri.

Cola: *Colatorium*: *Colum*: Urceolis, sive amulis veteres Colatorium jungebant, ideſt vas concavum, minutiſſimis foraminibus in imo fundo perforatum, per quod vinum & aqua pro Sacrificio ex urceolis in calicem refundebatur, ne quid impurum etiam minimum efflueret. Chronicon Moguntinum: *erant Colæ argentæe novem, per quas vinum poterat colari*: Ordo Romanus: *Archidiaconus amulam Pontificis cum vino de subdiacono accipit, & refundit super colum in calice.* Et Petrus Cellensis lib.3. epist.2. *Calore igitur charitatis liquefacta, & colatorio discretionis eliquata, nihilominus & infusorio exquisitæ veritatis infusa Domini gratia asperitates fauci cum in confessione mitigat.*

Collecta: Multiplicem in re liturgica significationem sortitur hæc vox. Apud latinos Missam significat, quia in illa colligitur in unum populus, ut Sacrificio intersit. S. Augu-

ſtinus

ſtinus in Breviculo Collationum cum Donatiſtis, collatione tertiæ diei: *Confitebantur ſe Collectam, & Dominicum egiſſe*. In actis SS. Martyr. Saturnini & Sociorom apud Bolland. 11. Februarii, oblati fuiſſe dicuntur Proconſuli, quia *Collectam, ſeu Dominicam celebraſſent*.

Collectarum quoque nomine apud veteres accipiebatur omnis ſolemnis conventus, non ſolum ad Sacrificium, ſed etiam ad alia divina offitia. *Poſt Alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam &c.* Hieronym. in epitaphio Paulæ. *Quicumque negligentiæ cauſa ad collectas mane vel Veſpere non occurrerit, extraneus habeatur*. Tom. 1. Concil. Angliæ: *Per domos ſingulas Veſpere ſæx orationes, pſalmoſque complebant juxta ordinem majoris collectæ quæ a cunctis fratribus in commune celebratur*. S. Pachomius in Reg. artic. 155.

Collectæ quoque dicuntur omnes illæ orationes, quæ dicuntur in miſſis, aut aliis publicis, ſeu privatis precibus. *Collectas nuncupari dicimus, quia neceſſarias orationum petitiones compendioſa brevitate colligimus, ſeu concludimus*. Valefridus c. 22.

Collecta a S. P. Benedicto in Regul. c. 11. venit ſub nomine benedictionis, cui aſſentitur S. Auguſt. de dono perſeveran. c.23. *Talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente, reſpondit Amen*. In ordine Corona-

ronationis Caroli Calvi, quæ in ejus Capitulari pag. 486. describitur, benedictio pro collecta accipitur. Collectis enim quas singuli Episcopi super Regem recitabant præfigitur hic titulus: *Benedictiones super Regem Carolum ante Missam, & altare Stephani.*

Collectæ etiam accipiuntur pro elæemosinis, quæ ad pauperes sustentandos in primitiva Ecclesia fiebant, de quibus Apostolus 1. ad Corin. 16. *De Collectis quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi &c.* Harum mentionem faciunt S. Joan. Chrysost. Oratione de elæemosyna & Collectis; & S. Leo Magnus Serm. de Collatis.

Collectaneum: Codex, in quo collectæ continentur. *Prior, quando viderit competere, mittat Sacerdotem, cum Collectaneo, & stola &c.*

Collectarius, ille, cujus erat populum cogere ad functiones sacras. Lib. Usuum Cister. c. 101.

Color: Colores, quibus communiter utitur Ecclesia tum in sacrificio Missæ, tum in aliis functionibus sacris, sunt quinque, scilicet Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger. Albus adhibetur in omnibus festis Domini Nostri Jesu Christi, & in festis B. V. Mariæ, Confessorum Pontificum, & non Pontificum, Virginum & Viduarum: in Dominicis a Pascha usque ad Pentecosten,

ſten, & in feſto S. Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, & in octavis, ſupradictorum dierum.

Color rubeus in feſtis Pentecoſtes & per octavam uſque ad Sabbatum, in feſtis Apoſtolorum, & Martyrum, & eorum octavis, in feſtis Virginum & Martyrum, & in octava Innocentium.

Color viridis, in Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam, & a prima poſt Trinitatem uſque ad Adventum.

Color violaceus in Quadrageſima, in Adventu, in feſto Innocentium, in benedictione Candelarum, in proceſſione S. Marci, & Rogationum, inferiis quatuor Temporum; in Miſſis votivis, tamen ſecundum ritum.

Color niger in Paraſceve, in Miſſis Defunctorum, & eorum Exequiis.

Præter hos colores alium reperi, nempe *Fuſcum*: apud Martene de antiquis Monachorum ritibus lib.3. c.10. n. 2. *Diebus Dominicis & privatis ad majorem Miſſam Sacerdos caſula utatur Fuſcha*. De Conſuetud. Quadrag. ex lib. Conſuetud. S. Benigni: Conſuetud. quoque Cluniacen. fer.6. in Paraſceve: *Sacerdos indutus caſula fuſca ferens ſiniſtra miſſalem librum, Presbyter cum Diacono induti Planetis fuſcis*: Ex Ms. Divionenſi: *Sacerdos indutus caſula fuſca*.

Non eandem tamen colorum qualitatem ſerva-

servatam fuisse in Monasteriis antiquitùs, patet excit. Martene, ut infra.

Colore rubro in prima Missa Natuit Domini vestiti erant Sacerdotes & Ministri Corbejen. & Parisien S. Germani Monaster 1. 3. e 4.

Colore rubro, seu purpureo in festo Purificationis B. Mariæ in candelarum benedictione vestiebantur duo Sacerdotes: *De hinc duo Sacerdotes purpureis induti Planetis*.

Casulis quoque purpureis induebatur Abbas Cassinensis in Missa solemni Dominicæ Palmarum: lib. 3. c. 12. & ex Consuetud. S. Benigni Divionen. *Ad Missam Sacerdos auratis utitur vestimentis, & casula rubea aurata*. Ad vesperas quoque ejusdem diei, Abbas solemniter illas decantans Cappa rubea erat indutus; ex Consuetud. Dionysianis: & ex illis S. Germani à Pratis, qui cantabat Vesperas habebat Cappam de Pallio albo: l. 3. c.12. n. 34. Laudunenses Monachi in *Paramentis rubeis* feria quinta in Cœna Domini cantabant. *Cappam rubeam* fer. 6. in Parasceve Cluniacen. adhibeant: *Cappam rubeam* quoque in Monasterio S. Germani induebat, qui Vesperas cantabat in Sabbato ante Dominicam in Albis, & in ipsa etiam Dominica. In Ecclesia eadem in Anniversario Dagoberti Regis. *Missa debet ab Abbate celebrari ad majus Altare, cum Diacono, & Subdia-*

Subdiacono indutis tunica, & Dalmatica ex purpureo.

Albas Casulas Corbejenses induebant in prima Dominica Adventus, & etiam San-Germanenses *Sacerdos habens casulam albam*. Ad Vesperas fer. quartæ majoris hebdomadæ *Abbas cantabat in Pallio albo*.

Nigro colore, seu nigris Casulis aquam benedicebant in Dominicis Cassinenses, illisque induebantur in Dominica prima Adventus. *In nigris Planetis ad Missam procedunt*. Idem servabant in festo Innocentium; *Ad Missam Diaconus & Subdiaconus in nigris planetis incedant*: quod & præscribitur in Dominica Septuagesimæ, in die Cinerum & in diebus Rogationum.

Colligere orationem. Orationem, seu collectam recitare, seu concludere Psalmodiam media oratione, seu Collecta.

Communicales, vas, seu Calix, quo fidelibus Sanguis Christi ministrabatur. *Communicales ex argento fecit per singulas regiones*.

Communio est illa antiphona, quæ cantabatur, in choro, tempore quo fideles communicabant. Hæc autem antiphona ritu Ambrosiano vocatur Transitorium, tunc enim Sacerdos à cornu Evangelii transit ad illud Epistolæ.

Communio Sacramentalis ea est, de qua sic loquitur ordo Romanus. *Mox ut Pontifex cœpe-*

cœperit communicare populum in Senatorio, statim Schola incipit antiphonam ad communionem, & psallunt usque dum communicato populo, etiam in parte mulierum, redit in Sedem, & repetito versu quiescunt &c.

Communionis autem talis erat ordo. Primò celebrans communicabat se ipsum, deinde, si aderant, Episcopos, vel Presbyteros simul cum ipso Synaxim agentes: tum Diaconos, Subdiaconos, Clericos, Monachos, Diaconissas, Virgines, ultimo populum, primo Viros, postmodum mulieres. Celebrans in medio altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retro altare, Subdiaconi & Clerici in limine Sanctuarii, reliqui extra Cancellos. Græci, Imperatori Sanctuarium ingredi permittebant: sed Theodosium, qui ex Græca consuetudine eum sibi locum assumpserat, inde amovit Ambrosius, docens Purpuram Imperatorem facere, non Sacerdotem.

Communio sub utraque specie ab ipsis Ecclesiæ incunnabulis, usque ad seculum XII. semper & ubique in usu fuit, cum hac tamen differentia, quod omnes quidem sub panis & vini specie communicabant, etiam Laici & mulieres, cum solemni Mysteriorum celebrationi præsentes fuissent, ideoque de oblatione, sive de oblatis participabant. Sed extra Sacrificium, & ex-

tra

tra Ecclesiam semper & ubique sub unica tantum specie, & quidem panis, communicabant.

Communio porro alia dicebatur *Laica*, alia *Peregrina*, alia *Ecclesiastica*.

Communionis ecclesiasticæ tot erant species, quot ordinum gradus. Aliter enim inter se, & cum aliis Clerici minores, aliter Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Episcopi communicabant. Cum enim aliquis ob aliquod delictum Ordinis sui munia exercere non posset, is Communione privari dicebatur, quia cum aliis, in his, quæ sui ordinis erant, communicare, vetitum erat. Si autem perpetua depositione à sui gradus honore removebatur, omne jus Communionis ecclesiasticæ amittebat, & Laicos inter relegatus, ipsorum tantum communione fruebatur, idest extra Altaris septa, laicorum more.

Communio laica erat jus societatis, & communicationis cum reliquis fidelibus in rebus tam ecclesiasticis, quàm civilibus, Laicorum more: ex quo consequens erat, ut Clerici ad eam damnati, & aliquando à gradu dejecti, in ordinem plebis redigerentur: unde fit ut communio Laica, quæ Laicis honor erat, Ecclesiasticis esset dedecus, illis enim in pœnam irrogabatur.

Communio peregrina qualis fuerit, discrepant

inter se authores: communior tamen sententia est tunc mulctatos fuisse clericos Comunione peregrina, quando in eo statu, & loco collocabantur, in quo poni solebant clerici peregrini, idest, qui sine litteris Commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, nunc autem *Dimissoriales*, peregrinabantur, benigne tamen excipiebantur, sumptibus Ecclesiæ alebantur, Clericorum tamen nullus cum illis, tamquam cum clericis communicabat, nec ullis Ordinis sui muneribus fungebatur. Hujus communionis Peregrinæ meminit Agathense Concil. can. 2. *Contumacibus clericis, qui prioris gradus elati superbia, communionem fortassis contempserint, aut Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere neglexerint, peregrina communio tribuatur, itaut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque recipiant*.

Communionis alterum genus erat in veteri Ecclesia, scilicet per Eulogias. Quid autem forent Eulogiæ, suo loco videbitur. Erat autem pro nunc panis, qui Consecrationi supererat in particulas dissectus, & in fine Missæ a Sacerdotibus illis distributus, qui ob aliquod impedimentum non poterant, aut parati non erant communicare.

Compagi, ab antiquis *Compaga*, seu *Compagia* vocabantur: sunt autem *Sandalia*. In ordine

ne Romano pro *Calicis* accipiuntur, tit. de Ordinat. Episcopi. *Induunt Electum Compagos, Sandalia &c.* Horum usus concessus fuit Dignitatibus Metropolitanæ Mediolanensis.

Competentes erant illi, qui in fide rectè instructi Baptismum petebant. S. Augustinus ferm. 116. de Tempore, *Primum Competentes isti, quare hoc nomine vocentur, agnoscant. Competentes dicuntur simul petentes, quomodo consedentes, nihil aliud est, nisi simul sedentes... ideoque appellantur Competentes, idest gratiam Christi petentes.* Competentium meminit S. Ambrosius epist. 33. ad Sororem: *Post Lectiones, & Tractatum, dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in Baptisteriis tradebam &c.*

Complenda sive oratio ad complendum, est illa antiphona, & oratio, quæ post sumptionem Sacramenti, manuumque lotionem dicitur a Sacerdote. *Finita antiphona surgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad altare dat Orationem ad complendum.*

Completum: Completorium, postrema ex horis canonicis. *Recepto silentio nocturno, cum reverentia intrent oratorium ad Completum.* Ordo Conversat. Monasticæ.

Concha: Olim ante fores Ecclesiarum ponebantur putei, seu fontes, aut Conchæ, ne Christiani illotis manibus Templum adirent.

rent. Paulinus in Natal. fest. S. Felicis.

Unde fluant pariter plenis cava marmora saxis.

Concha igitur genus est vasis concavi. Finita Missa Sacerdos debet lavare manus juxta Udalricum l.v. c.30. propter calicem, & propter Corporale reportandum. Hujus ritus mentio in lib. 2. de Gestis Sanctorum Rotonensium, c. 1. *Accelera huc cuncham aneam, cum aqua, in qua lavant sancti Sacerdotes manus suas post immolationem.*

Concilia Martyrum: Locus, in quo plurima Martyrum corpora sepulta sunt, ut notat Baronius in notis ad Martyrologium Rom.23. Jnnii, ubi sic legitur. *Romæ S. Joannis Presbyteri &c. Corpus ejus a B. Concordio Presbytero juxta Martyrum Concilia sepultum fnit.*

Conclamo, simul clamo, fortiter clamo. Consuetudines Farfenses loquentes de exequiis Monachorum hæc habent. *Duo fratres, videlicet Armarius, & unus ex aliis veniant & flent juxta defunctum, conclament Kyrie eleison.*

Confessio hic non accipitur pro illa Sacramentali, quæ fit ad Sacerdotis aures, ideoque Auricularis dicta, sed pro illa confessione, quam Sacerdos Missam celebraturus facit ad altaris

ris pedes, dicens: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* Hujus Confessionis, qua omnes ferè Ecclesiæ utuntur, sunt qui authorem faciunt Pontianum, alii Damasum Pontifices. Varius fuit ejus ritus juxta Ecclesiarum diversitatem ut videre est apud Card. Bona l. 2. c. 2. Rerum Liturgic. Ambrosiani addunt: *B. Ambrosio Confessori &c.*

Confessio: *Confessionem donare*: *Confessionem dare &c.* hic sumuntur pro *Confiteor*, quod ad *Primam* & Completorium dicitur. Ordo Conversationis Monasticæ. *Convenientes fratres ad Primam, dum completur ipsum offitium, ante Psalmum quinquagesimum donent confessiones suas vicissim, pariter supplici voto eorum certatim pro se orantes.* Crodegangus Metensis Episcopus in sua ad Canonicos Regula. *Post donent Confessiones suas vicissim dicentes: Confiteor Domino, & tibi frater, quod peccavi in cogitatione, & locutione, & opere, propterea precor te, ora pro me.*

Confessio quoque accipitur pro loco subterraneo, ut plurinum subtus majus altare, seu pro ea parte Ecclesiæ, in qua Sanctorum corpora, vel aliæ Reliquiæ reconditæ sunt. Baronius lib. de Rom. Pont. *In oratorio S. Crucis fecit Confessionem, ubi posuit lignum Domini*: Anastas. Bibliot. *Fecit Confessionem B. Laurentii Martyris ex argento, pensantem libras centum*. Cassiodorus epist. 3.

Tenemus aliquid Apostolorum proprium, si peccatis dividentibus non reddatur alienum, quando confessiones illas, quas videre universitas appetit, Roma felicior in suis finibus habere promeruit. Scurolum communiter appellatur apud Romanos, sumpta fortè denominatione ob loci obscuritatem.

Confessor: Hæc vox apud veteres Scriptores pro Martyre accipiebatur, aut etiam pro illo, qui coram Judicibus publice catholicam fidem fuerat confessus. Nunc temporis autem sub *Confessoris* nomine veniunt illi, qui sanctè viventes & morientes Sanctorum albo adscripti sunt.

Confessorum porrò festivitates, quo tempore in Ecclesia receptæ fuerint, cum priùs de solis Martyribus fierent, argui potest ex Calendario Frontonis, ante annos mille exarato; in quo nonnisi quatuor Confessores recensentur, idest Martinus Turonensis, Gregorius Magnus, Leo Papa, & Silvester. Cum autem Martinus obierit, (juxta Baronium tamen) anno 402. temporis notam habemus, quo festa SS.Confessorum agi cæperunt. Martino enim primus hic honor delatus fuit, in cujus honorem S. P. Benedictus in Monte Cassino Oratorium extruxit.

Confessores etiam nominantur in illa oratione, quæ inter alias dicitur fer. 6. in Parasceve, id est Oremus pro Acolytis, Exorci-

stis

ſtis & *Confeſſoribus*, qui autem ſint hi *Confeſſores*, nonnulli dubitant: eos autem Magri vult eſſe initiatos prima Tonſura, vel Cantorem, vel Pſaltem &c. & ad convalidandam ſuam hanc opinionem affert Can. 9. Concilii I. Toletani, ubi legitur. *Nulla profeſſa, vel Vidua abſente Epiſcopo, vel Presbytero, in domo ſua antiphonas cum Confeſſore ſuo, vel ſervo faciet.* In ead. quoque ſententia eſt Rives in Declaratione vocum difficilium in Hiſtoria Sacra.

Confirmo-Confirmare. Verbum hoc pluries uſurpatum in ordine Romano, & ab aliis Scriptoribus. Significat diſtributionem Sanguinis Chriſtifidelibus, poſt Corporis participationem. Hæc autem functio Diaconorum propria erat. *Ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice ſancto: Recepto calice, Archidiaconus confirmat omnes Sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex. Archidiaconus tradit calicem Subdiacono, qui tradit ei pugillarem, eum quo confirmat populum*. Ordo Romanus.

Hoc autem munere fungebatur invictus Chriſti Martyr, & Levita Laurentius, quem ſic allocutum Xyſtum Pontificem dicit Sanctus Ambroſius lib. 1. Officiorum, c. 41. *Experire certe utrum idoneum miniſtrum elegeris: cui commiſiſti Dominici Sanguinis*

consecrationem &c. Consecrationem autem scriptum esse in antiquis tam editis, quam Mss. Codicibus, non *Dispensationem*, ut in vulgatis libris correctum est, firmiter asserit Card. Bona, Rer. Liturgic. l. 1. c. 25. Huic autem Lectioni nec formidandæ, nec corrigendæ, sed omnino restituendæ, ut ipse asserit, favet contextus, sequitur enim: *Consumandorum consortium Sacramentorum: huic consortium tui Sanguinis negas*.

Loquitur ergo de Consecratione ministeriali, non Sacramentali. Quare Petrus Blesensis epist. 132. ad Episcopum Londonensem citata Ambrosii verba sic explicat. *Nobis enim Diaconis consecratio illius salutaris Hostiæ committitur, non ut conficiamus, sed ut conficienti humiliter assistamus*.

Confractorium ritu Ambrosiano est illa antiphona, quam Sacerdos divisa, fractaque Hostia post illa verba *Commixtio* ✠ dicit, post quam orationem Dominicam subdit.

Conscientia, assensus, notitia, participatio Innocentius III. ad Archiepiscopum Pisanum. *Archiepiscopos ad Concilium non vocabis sine conscientia Romani Pontificis*. Et Isidorus lib. 2. de Eccl. officiis: *Presbyteros autem aut Diaconos non audeant ordinare præter conscientiam Episcopi*. Tortorius lib. de Miraculis S. Benedicti, c. 11. refert Hum-

Humbertum Monachum graviter Egrotantem admonitum à fratribus, quatenus sui memor, Abbati, seu alicui Seniori propria confiteretur peccata, *& quidem de omni conscientia sua*, ideſt, quorum habebat notitiam.

Conſiſtentes erant de illorum pœnitentium claſſe, ſeu gradu, qui fidelium precibus, & ſacrificio uſque ad finem miſſæ aſſiſtebant: offerre tamen ad altare, ideoque & communicare prohibebantur: jus enim offerendi, ab illo communicandi indiviſum erat. Horum Sedes erat ab Ambone verſus Sanctuarium.

Conſultum, ſententia, votum, conſilium &c. *Quibus expletis ſpiritualium fructuum conſulta ſuſcipiens ... per ejus vota, ſicut poſtulaverat, impleverunt.* Vit. S. Ausberti &c.

Contacium breve canticum, ſeu liber formulas ordinationum continens. Magri.

Conteſtatio. Hæc vox in aliquibus miſſalibus Præfationi præfigitur, quia in ea Sacerdos audita voce cleri, & populi, ſeu miniſtri aſſerentis. *Dignum, & juſtum eſſe Deo gratias agere*, conteſtatur veram eſſe hanc populi aſſertionem, & ſolemni gratiarum actione ſe, & fideles ad tremenda myſteria diſponit.

Converſus, *Converſæ*. Apud veteres Monachos ille dicebatur Converſus, qui a ſeculo ad con-

conversionem venerat Monasticam professurus vitam. Apud recentiores tamen hic frater laicus vocatur: & sæpe in ritibus inferiores altaris ministri, ut Ceroferarii, thuriferarii &c. ex Martene in onomastico.

Conversæ porrò, quæ nam essent, & quale earum foret munus, me prorsus ignorare fateor, earum, tamen non rara mentio in Monachorum ritibus. Martene l.3.c.8. ex ordinario Tullensi: *Hac Missa* [Nativitatis Domini] *finita, omnes Monachi & pueri Conversi & Conversæ in hac die Eucharistiam sumere debent*, & lib. 3. c. 23. *Sacrista habeat alium calicem, & urceum cum vino, ut bibant Conversi, & Conversæ, qui Corpus Domini susceperint*: & c. 16. *Diaconus tot hostias consecrandas apponat, ut in ipsa die* (Paschæ) *fratribus, qui non celebraverunt, Conversis, & Sororibus sacra Communio sufficiat*. Et idem precipitur pro festo Assumptionis B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum.

Circa annum Domini millesimum ducentesimum in Monasterio S. Ambrosii Mediolani habitasse fœminas, quas *Conversas* vocabant, patet ex Puricello in Monum. ejusdem Basilicæ pag. 1159. *Et vidit, quod Custodes similiter deferunt Cruces ad corpora illorum, qui sunt de Monasterio, tam Abbatis & Monachorum, seu clericorum, quam conversorum, vel conversarum. Et*

illas

illas cruces specialiter vidit deferri ad corpus Domini Amizonis Abbatis... Dominæ Taliæ conversæ, & Adelaxiæ conversæ. Item dixit: Se vidisse Custodes Canonicorum portare Crucem intra Monasterium ad corpus Abbatis, vel Monachi, vel conversi, vel Conversæ. Porro credibile est has sorores, & has Conversas sejunctim a Monachis habitasse, eo præsertim tempore, quo plures Humiliatorum domus tam virorum, quam mulierum, seu fratrum, & sororum reperiebantur, in habitationibus tamen separatis.

Cophinus. Tabernaculum. *Deinde idem Cardinalis debet incensare altare, & Cophinum, in quo conservatur Corpus Christi*. Davent. in Cæremon.

Copiatæ, clerici, seu alii dicti & *Laborantes*, quorum erat mortuos sepelire: dicti *Libitinarii*.

Corda: Funis: Restis: *Levant quoque pannos suos, consuetudinaliter... quos tamen non suspendunt ad siccandum in corda*. Martene lib. 5. cap. 5.

Corona: Hoc vocabulo nuncupatæ fuerunt oblationes, seu hostiæ consecrandæ, a rotunditate scilicet. S. Gregorius M. lib. 4. Dialog. c. 55. refert Presbyterum quemdam duos secum oblationum Coronas detulisse. Petrus Urbevetanus in Scholiis ad vitam Zephirini Papæ ait: Eum constituisse

tuisse, ut coronam consecratam de manu Episcopi acciperet Presbyter, tradendam populo.

Corona Sacerdotalis, Tonsura, sic dicta, quod in coronæ similitudinem fieret. Ex hac porrò Tonsura orta fuit consuetudo rogandi Episcopos per illorum Coronam. Hieronymus Epist. ad Augustinum, quæ est 26. apud eumdem August. *Fratres tuos Dominum meum Alypium, & Dominum meum Evodium, ut meo nomine salutes, precor Coronam tuam*. Ipse quoque Augustinus ad Proculianum Episcopum epistol. 147. *Per Coronam nostram nos adjurant vestri, & per coronam vestram vos adjurant nostri*.

Coronæ autem nomine potest quoque intelligi Mitra, & ex supra relatis, & ex vita Sancti Goslini apud Bolland. 12. Febr. *Conspicit itaque justi, ac piissimi Patris epitaphium, corpusque pallio, corona, quam Mitram dicimus, & baculo more majorum decenter tectum &c.*

Coronarum similiter nomine veniunt illa ecclesiarum ornamenta, quæ ante altaria pendebant, & adhuc multis in Ecclesiis conspiciuntur, quibus lampades, vel cerei appenduntur. Hisce Coronis majoribus in solemnitatibus imponebantur cerei accendendi: Unde legitur in Udalrico lib. 1. de antiquis consuetudinib. Cluniacen. c. 11.

Item

Item sunt aliæ (festivitates) *in quibus coronæ accenduntur* . Et Statuta Lanfranci : *Accendantur duæ partes cereorum coronæ presbyteris* . Et ex Statutis Petri Vener. Abbatis Cluniacen. n. 52. *statutum est , ut magnæ illæ Coronæ ex ære auro , argentoque elegantissimè compositæ , quæ in medio chori forti catena sustentatæ dependent accensi cerei non imponantur, nisi &c... in reliquis verò festivitatibus , quibus solet accendi machina illa ferrea , quæ vulgò Erga vocatur , pro illa lampadibus vitreis illustretur* .

Corona demum apud Monachos , est Monachalis Tonsura .

Corporale sic dictum quia super ipsum conficitur , & reponitur SS. Christi Corpus in Sacrificio Missæ , communi Ritu dicitur *Palla Corporalis* : ab aliis *Sindon* , *Palla linea &c.* In Ordine Romano vocatur *Palla Corporalis* : *Ubi Pallæ Corporales lotæ fuerint* .

Corporale , seu linteum , in quo involuta servabatur Eucharistia , renovabatur in Cœna Domini , vetere combusto , & ejus cineribus in piscinam projectis . Lib. usuum Cisterc. cap. 21,

Corporale quoque apud Cassinenses unum semper servabatur in sinistro cornu altaris ; *ut ad manum posset esse contra periculum ignis, contra quod , si fortè contigerit , creditur à mul-*

à multis, quia multum valeat expansum. Martene lib.2. c.4. n. 16.

Corporatio: Sacerdos Græcus frangit Hostiam per medium in duas partes, & accepta una parte facit ex ea quinque particulas, & ponit in patena linea recta; habentque singulæ proprium nomen prima vocatur *Corporatio*, idest *Incarnatio*.

Cortina hoc sub nomine veniunt vela illa, seu linaria, quæ ante portas Sanctuarii à Græcis appendi solent. Apud Latinos autem sumitur pro illo velo, quod olim quadragesimali tempore extendebatur ante Sanctuarium, quo Altare, Sacerdos, & Ministri eo tempore absconderentur. Lanfrancus in Statutis: *Dominica prima Quadragesimæ post Completorium suspendatur Cortina inter chorum, & Altare.*

Idem præscribunt liber usuum recent. Cisterciensium, Cæremon. Benedictinum &c. Deponebatur autem in feria quarta majoris hebdomadæ ad illa verba cantavit *Emisit spiritum* statim demittitur Cortina magna totum altare cooperiens, & statim habetur concio.

Credo in Deum, quòd præmittatur nocturnis vigiliis, simul cum Oratione Dominica, est recentioris instituti, cujus primam mentionem facit lib. usuum Cistercienf. *Dimisso offitii signo faciant solitam orationem super misericordias, id est Pater noster, & Credo.* Cre-

Cremia Sarmentorum. Frusta ex lignis vitis combusta, Consuetud. S. Benigni: *Cineres vero hac die fratrum capitibus imponuntur. & ex industria fiunt de Cremiis Sarmentorum, qui etiam studiosè mundantur, & cribantur, & benedicti conservantur ab Infirmario, ut morientibus fratribus cum cilicio substernantur*.

Crepitaculum, malleus ligneus, quo olim Monachi excitabantur, & hodie in usu est in tribus tenebrarum diebus. *His adhuc dubitantibus, excubitor ad matutina Cantica excitat ligni pulsibus*. Leo Imperator in Panegyr. de S. Joanne. Tabula quoque mortuorum in Monach. ritib. nuncupatur, pulsari enim solet, cum Infirmus morti proximus est: Hanc porrò tabulam S. Humbelina S. Patris Bernardi Sorore animam agente, percussit Angelus, ut in ejus vita.

Crocha in Monachorum ritibus apud Martene Baculum Pastoralem significat, sicut & *Crossa*: *Præeuntibus ceroferariis & Capellano Crossam, sive Pedum ante eum nullo medio deferente*. Martene l. 4. c. 1. & infra: *Postremò Abbas sine Crossa cum Capellano subsequente*.

Crocea quid sit, declarat Cæremoniale Roman. l. 1. c. 4. *Est autem Crocea genus chlamydis longa ad terram usque ad imum, & circa collum rugosa, in forma Capparum Prælatorum*

torum; videmus cucullum.

Crotalum lignum illud, quod Campanarum vice pulsatur tribus ultimis diebus majoris hebdomadæ. Missale Ambrosianum tit. de fer. 6. in Parasceve. *Interim datur signum vesperarum cum crotalo, seu tabula lignea.* Ambrosiano ritu dictis tribus diebus, sonantur Campanæ, & quidem in feria sexta in Parasceve usque ad illa verba, quæ cantantur à Diacono *Emisit spiritum*: & silent usque ad sequens Sabbatum usque ad *Alleluja*.

Crucibolus, patera, seu scyphus, in quo signum Crucis insculptum erat: *Offero etiam Refectoriario dicti Monasterii ad usum Præsidentis quotidie in refectorio scyphum meum deauratum, & per totam partem exteriorem barbaris vinitoribus ad dracones pugnantibus cælatum, quem Crucibolum meum solitus sum vocare, quia signum Crucis per transversum scyphi imprimitur interius.* Charta Vithlaphii Merciorum Regis pro Monasterio Croylandensi anno 833. apud Ingul. in historia Croylandensi.

Crusta: In Mss. Consuetud. Cluniacensium c. 52. tit. de obitu Fratris, & extrema Unctione hæc leguntur. *Quo facto lavat manus, & priùs in cinere confricat. Olim in Crustis siliginei panis istud fiebat.* Martene l. 5. cap. 8.

Crustu-

Crustula: In Concilio Toletano celebrato anno 663. Can. 6. hæc leguntur. *Ad Conventus nostri agnitionem delatum est, quòd in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotum .... de panibus suis usibus præparatis Crustulam in rotunditatem auferant, eamque super Altare, cum vino, & aqua pro sacro libamine offerant.*

Crux inter candelabra collocari debet: Joannes enim Apocalyp. 1. 13. vidit *In medio septem Candelabrorum aureorum similem filio hominis*. Ideoque SS. PP. ex Bonaventura lib. de Mysteriis Missæ, statuerunt ne quisquam Missam agat, nisi in altari adsit Crucifixi imago.

Crux decussata erat illa, quæ duobus lignis æqualibus, & in transversum dispositis compacta erat, in hunc modum. X.

Crux commissa, duobus quoque lignis constabat, quorum unum longius erat, aliud brevius, & hoc longiori super imponebatur. T

Crux immissa similiter ex duobus fiebat lignis, quorum unum longius super imponebatur alteri breviori, ita ut supereminceret in parte superiori. ✠.

Crucem sequi: ex Martene in Indice onomast, est Processionem agere.

Cruces ferre ad corpora: cum Cruce funera, seu exequias, præcedere. *Custodes Canonicorum deferunt Cruces ad corpora illorum, qui sunt de Monasterio. Puricellus pa.* 1159.

Crucem sibi depingere. Crucis signo se signare *Quando debet recitare Evangelium, osculatur Altare, singulas cruces ad sequentia S. Evangelii in fronte, & in pectore sibi depingit*. Martene l. 2. c. 6.

Cruciculas veloces, Crucesque communes idem Martene loc. cit. memorat. *Ad Pax Domini sit semper vobiscum tres veloces cruciculas faciens; Ad Sanctificas, tres communes cruces facit*.

Crucem imprimere ideſt signo crucis signare. Ibidem: *Cum dicit Honor & gloria, extra calicem in summitate ipsius duas cruces imprimit* Bursfeldenses. *Sacerdos accedens ad Altare impresso signo crucis labio illius, ipsum osculatur. Crucem imprimit Altari, ipsum osculando*. Et Casalinus. *Sacerdos Altare in labio, signando illud deosculabitur*. Talis autem ritus adhuc observatur in Mediolanensi Ecclesia ut ex ejus Rubricis.

In *Cruce incensare*. Crucis signum facere cum thuribolo supra rem, quæ thure adoleri debet, Martene l. 5. c. 10. *sacerdos incensat Altare majus iu cruce, similiter corpus defuncti in cruce, a capite incipiens*.

Crux pectoralis sic appellata, quia ante pectus pendet, debet autem continere Reliquias Sanctorum, A Græcis *Encolpion* dicitur.

Cubicularius Cappellanum quoque significat, ideſt illum, qui curam Oratorij, seu Ecclesiæ habet. *Hic etiam constituit & addidit*

supra

supra sepulcra Apostolorum ex Clero Romano custodes, qui dicuntur Cubicularij. Anastasius in Leone, ex quo deduci potest.

Cubiculum etiam accipi pro oratorio, vel capella, *Hic sepultus est in Cæmeterio Priscillæ, cubiculo claro* Anastasius in Marcello.

Cucuma: *Cucumellum*. Vas ex quacumque materia pro conservandò vino & aqua ad usum Sacrificii. *Calices duo aurei, item calices sex Argentei, Cucumellum unum*. Baronius apud Magri. Et S. Ambrosius serm. 9. *Dii aurei, ex quibus cucumæ melius fiunt ad usus hominum*.

Culpus: Ictus alicui rei impactus. *Prior det modicè culpos in scilla tribus vicibus*. Consuetud. S. Benigni.

Cuphia apud Lexicographos, aliquando accipitur pro Mitra, aliquando pro pileolo, quem gestabant ecclesiastici ad aures protegendas. *Ecclesiastici pileolos seu Cuphias gestant in capite, dum assistunt altaribus*. Albin. Flaccus de divin. offic. c. 37.

Cupa sporta viminibus contexta, *Jussitque antecedere Cruces, cum cereis & thuribulis. cupamque suam & peram*. Lib. Miraculor. S. Colombani. *Cupa* quoque appellatur pars illa Calicis, in qua consecratur, & Sanguis Christi conficitur.

Cursus: tota series divini offitii quotidie ab Ecclesiasticis recitandi: *Cursum vestrum horis certis decantate*. Ordo Roman. & cap. 28.

Monachor. Sangallensium : *ut post omnes cursus in Ecclesia illud signum expectent*.

Custos; Significationes multiplices sortitur hæc vox, pro ratione rerum quæ custodiuntur. Dicitur enim Custos Vasorum Sacrorum, Paramentorum, Bibliothecæ &c. Per honorificum autem fuisse in Hierarchia Ambrosiana Custodis offitium, ex eo patet, quod Eribertus de Antimiano, qui post Arnulphum secundum Mediolanensem rexit Ecclesiam, anno millesimo septimo Subdiaconus erat ejusdem Ecclesiæ, & simul Custos S. Vincentii apud Canturium, in cujus Ecclesiæ Confessione repertus fuit lapis, cujus aliqua tantum verba refero ad rem facientia, *sexto Nonas Julii Translatio S. Adeodati, & Dedicatio istius Ecclesiæ, & ibi requiescunt B. M. Ecclesius & Manfredus Presbyteri, seu Savinus Diaconus, qui fuerunt inventi juxta sepulcrum S. Adeodati Anno Domini* 1007. *Indict.V. tempore Domni Ariberti de Antimiano, Subdiacono S. Ecclesiæ Mediolanensis, & Custodis istius Ecclesiæ, seu tempore Henrici Regis*. Puricell. loc. cit. pag. 337.

Cussinus, Cusinus, est pulvinus, seu pulvillus, seu lectricium, cui Missale superponitur.

Cymbalum: Tintinabulum, Scilla, Signum &c. *Cum audierint Cymbalum ordinate, & sine ullo strepitu festinent*. Ordo Conversationis Monasticæ,

Cymbi-

Cymbilia: Vide Cemelium, Cimiliarchia.

D

D*Almatica* ex S. Silvestri institutione est proprium Diaconorum indumentum, cum antea, teste Alcuino, Colobiis, sive tunicis, cum manicis ad cubitum tantum pertingentibus uterentur. In Dalmatia primum inventæ sunt; unde & nomen acceperunt, & illinc Romam translatæ. Erant autem Dalmaticæ talares, sericæ, albæ, auro ornatæ, psagulis, seu clavis ex purpura assutis distinctæ? *Dalmatica a Domini inconsutili tunica, & Apostolorum colobio est mutuata, est vestis candida, manicata, duas lineas coccineas ante & retro habens, & tramites purpureos*. Gemma c.201. Nunc autem Dalmaticæ colores variantur pro ratione festivitatum; varia earum nomina suo loco videbimus.

Dalmaticam majorem, & *minorem* enumerat ordo Romanus inter indumenta propria Episcoporum. Minor erat illa, quæ prius induebatur, manicas enim strictiores habebat, ad differentiam illius, quæ secundo loco vestiebatur, & Laxior esse debebat, & ideo Major nuncupata, sive tales dicantatur eo quod minor sit Subdiaconi, major autem Diaconi.

Dalmaticas albas induebant Diaconi, & Subdiaco-

diaconi Basilicæ Ambrosianæ Mediolani pro recipiendo Archiepiscopo in die Palmarum. *Abbas S. Ambrosii debet esse ibi præparatus & indutus Pluviali albo, cum Diaconibus, & Subdiaconibus suis indutis Dalmaticis albis*. Puricellus pag. 98.

Dare confessionem, vide Confessionem donare, & adde ex Martene lib. 3. c. 22. *data confessione, cessatisque signis, dicitur Gloria in excelsis*. Et ex Consuetud. S. Germani *signo Completorii pulsato agatur Oratio, qua finita, dato signo a Priore invicem sibi dent confessiones, salutare remedium &c.*

Dasium, Tegimen, umbraculum, Baldachinum, Gallicè *un dais*. Consuetudines S. Germani *Conventus ascendet ad mensas, sed non sedebit, quousque Prior sederit ad Dasium, & sederit super sedem. Si vero Abbas non fuerit ad collationem, conventus non erit superius ad mensas, sed stabunt inferius, donec Abbas transierit, & sederit ad Dasium supradictum*. Et Martene lib. 3. c. 24. qui loquens de Anniversario Childeberti Regis Christianissimi, in Ecclesia S. Germani Parisiensis inter alia hæc habet: *In refectorio autem debent poni duplices mappæ, duplicem pittantiam: de clarato autem quilibet habebit unam justitiam, & duos gastellos, & ponetur ad Dasium pro Dege defuncto panis, vinum, pittantia &c.*

Data-

Datarus: seu *Datarum*. Inter Capitulares veterum Monachorum actus feriæ quintæ in Cœna Domini, primus erat Martyrologii lectio, in qua præmissa lectione diei, Lunæ &c. annuntiabatur Parasceve seu Passio Domini N. J. C. quod significat ordinarium Cassinense his verbis: *Finita Prima absolvatur Capitulum*: *Lector autem dicto Dataro, & Luna, adjungat*: *Parasceve*: *Dominus Noster Jesus Christus crucifixus est*.

Decanus, dignitas ecclesiastica, & præcipuè in Hierarchia Ambrosiana: *Decani* quoque erant inter Monachos, qui decem Monachorum curam gerebant ex Regula S. Patris Benedicti.

Decumanus. Alios inter Ecclesiasticos ordines, quos numerabat Ambrosiana Hierarchia, erat ille Presbyterorum, qui vocabantur Decumani, & cum ferula incedebant, quos tamen D. Carolus suppressit. Horum mentio pluries apud Puricellum, & præcipuè pag. 1037. *Item dixit*, *quod consuetudo talis est Mediolanensis Ecclesiæ*, *quod Decumani omnes*, *aut pars major*, *qui sunt de numero centum &c.* & infra: *Vidi Dominum Algisium Archiepiscopum corrigere illos*, *qui sunt de numero centum &c.*

Decuria: apud veteres Monachos sumebatur pro Collecta, sive Oratione; vel Commemoratione. *Lyrenses tres faciebant com-*

 memo-

memorationes .... in secundo autem additur & quarta, & ad Capellam decuria quinta, Deus cujus miseratione &c. immò si necesse esset & sexta, vel pro pluvia, vel pro serenitate &c. Martene lib.3.c.iij.

Decuria ritu Ambrosiano est divisio Psalterii in binas hebdomadas: in prima enim hebdomada, dicitur Decuria una, secundaque in alia.

Deus in adjutorium meum intende S. P. Benedictus fuit primus, qui horas canonicas ab hoc versu inchoandas instituit, quem postea Ritum universalis Ecclesia recipiens comprobavit.

Depositio, dies natalis, seu obitus Sancti alicujus, vox usitata in Martyrologiis.

Diaconia: Basilicæ destinatæ pro septem Ecclesiæ Romanæ Diaconis. Anastasius in Stephano.

Diaconicum: *Diaconion*: *Diaconium*: idest locus Ecclesiæ proximus, in quo Episcopus pellegrinos recipiebat. Significabat etiam in quo indumenta, vasaque Sacra conservabantur. *Educitur è Diaconico & Diacono ipsum precedente, & deducentibus Presbyteris duobus per portam Templi dexteram*, Simeon Thessalonicen. describens comitatum Episcopi Græci sacris vestibus induti, usque ad Altare.

Diaconissa. De illis diffuse agit Cabassutius in Notitia ecclesiastica. Illarum autem primum

mum offitium erat cura januarum Sancto-rum vestibulorum, ideft illius partis Ecclesiæ, per quas folæ ingrediebantur mulieres. Ignatius epist. 12. ad Antiochenos: *Saluto in Christo Diaconissas sacrorum vestibulorum custodes*. Ad ipsas pariter spectabat eleemosynarum distributio inter fæminas, easque baptizandas instruere, & invigilare, ne qua hora vestibus exuebantur ad baptismum vel baptizatæ in vertice à Sacerdote perungebantur, quidquam præter decorum aspectui, vel contactui Sacerdotis occurreret: ideoque obviam ibant oculorum illecebris opponendo linteos, ipsæque reliquas unctiones in toto corpore prosequebantur. Illarum etiam erat Offitium ministrare ægrotis, ut ex Hieron. Epist. ad Nepotianum: *Multas anus nutrit Ecclesia, quæ & offitium præbeant, & beneficium recipiant ministrando, ut infirmitas tua fructum quoque habeat eleemosynæ*.

Diaconissæ viduæ juxta Apost. 1. Timot. 5. eligi debebant non minus sexaginta annorum, nec bigamæ. Tertullianus lib. de velandis Virginibus, de Diaconissis scribit. *Ad quam Sedem præter annos sexaginta non eliguntur*. Et S. Hieronymus in cap. 6.: *Nec Ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis, nisi quæ sexaginta annorum est, & maturitatem habet pariter morum, & ætatis*.

Diaco-

Diaconiſſarum etiam habitus a ſeculari diſtinguebatur, ut ex Can. 14. Concil. 4. Carthaginen. *Viduæ, quæ ſe devoverunt Domino, & veſte Laicali abjecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ in religioſo habitu apparuerint &c.*

Diaconiſſæ quoque benedicebantur; illiſque manus impoſitio fiebat, non quidem Sacramentalis, ſed purè cæremonialis, ex Cabaſutio. Diaconiſſarum porrò quotidie creſcentibus vitiis, & decreſcente pietate, & ſimul conſuetudine defferendi baptiſmum in provectiorem ætatem, ipſarum quoque exoleſcere cæpit miniſterium; adeoque de illis abolendis Concil. Arauſicanum I. ſub Leone I. ſtatuit: *Diaconæ omnimodis non ordinandæ: Si quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant*. Et Concil. ſub Hormiſda, c. 21. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, penitùs abrogamus*, & Synod. 2. Aurelianen. canon. 18. *Placuit etiam, ut nulli poſtmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur*.

Diaconiſſarum aliquod adhuc ſupereſt veſtigium in Metropolitana Mediolanenſi: ibi enim, & ubicumque Archiepiſcopus Pontificaliter celebrat, in Miſſis cantatis, nonnullæ fæminæ, ætate provectæ, habitu particulari indutæ, panem & vinum pro Sacrificio

cio offerunt, aliaque præstant, de quibus sub Tit. Veglones Vegloniffe.

Diaconus. Diaconorum Ordo in lege Evangelica sumendus est ex Act. Apost. c.6. quando Apostoli septem viros elegerunt, & orantes illis manus imposuerunt. Quo exemplo in Concilio Neocæsarien. can.15. sancitum legitur: *Diaconi septem esse debent, etiamsi magna sit civitas*. In eorum prima ordinatione, manuumque impositione duplex illis ministerium collatum fuit; scilicet Sacrificio assistendi, & bona Collegio Apostolico collata pauperibus distribuendi. Olim in eorum ordinatione, manus Chrysmate ungebantur, ut docet Menardus in Notis ad Lib. Sacramentorum Sancti Gregorii Magni, & ex antiquo Pontificali, nec non ex epistol. Nicolai I. ad Grodulphum Bituricensem Archiepiscopum. Eorum porro offitia, munera tam vetera, quam nova vid.apud Bona, Hallier, Morinum &c.

Dicerion. Instrumentum sacrum, quo Græci in Sacrificio Missæ utuntur, est Cereus bisulcus, quem sæpe celebrans præ manibus habet, & ex eo populo frequenter benedicit.

Dicterium: Ambo: Pulpitus &c. sic dictum, quia ex eo dicuntur Evangelia &c.

Dies Aliturgici apud Græcos sunt omnes Quadragesimæ dies, quibus Præsanctificatis

utun-

utuntur, exceptis Sabbatis, Dominicis, & die Annontiationis. Dicuntur autem *Aliturgici* ideft fine *Miffa*. In Mediolanenfi porro Ecclefia, in folis feriis fextis Quadragefimæ, etiamfi in illis incidat Annontiationis feftum Miffa non celebratur. Sabbati diem Alexandriæ & Romæ Aliturgicam fuiffe, habemus ex Socrate l. 3. hift. Eccl. c. 21. *De Synaxi variæ confuetudines funt: nam quamquam omnes ubique in orbe terrarum Ecclefiæ fingulis feptimanis vertentibus die fabbati Myfteria celebrant, Alexandrini tamen & Romani ex antiqua traditione iftud facere renuunt*: Alexandrini & feriam quartam, & fextam addebant ex eodem Socrate. *Alexandriæ, quarta feria, & ea, quæ dicitur Parafceve & leguntur Scripturæ, & Doctores eas interpretantur, omniaque quæ ad Synaxim pertinent adminiftrantur, præter Myfteriorum celebrationem*, cui & adftipulatur Nicephorus Calliftus lib. 12. cap. 24. Dies quoque Aliturgici in Romana Ecclefia erant fer. 6. in Parafceve, & Sabbatum fanctum, qua die licet nunc Miffa celebretur, ea tamen dicebatur in nocte Refurrectionis. In Quadragefima quoque officio Miffæ caruit fer. quinta, ufque ad Gregorium II., in cujus Vita fcribit Anaftafius: *Hic quadragefimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque Miffarum Cele-*

britas

britas fieret in Ecclesiis, quâ non agebatur instituit &c. Certum quoque est, ex Bona lib. 1. c. 17. in antiquis Sacramentorum libris Lectionariis & Calendariis nullam inveniri Missam & Evangelium tam in quadragesima, quam extra per totum annum feriæ quintæ assignatum, nisi post Gregorium II. in Quadragesima tantum, & octav. Paschæ: vid. cit. Card. Bona.

Dies liturgici sunt dies illi, quibus ab uno sacerdote plures missæ celebrantur, ut in præsens in die Nativitatis Domini. An autem & alii fuerint dies, sub voce *Missa*, videbitur.

Dies Ramolivæ. Dominica Palmarum. *ipsa die Ramolivæ Abbas cum Monachis cantat Missam suam* Puricell. Loc. cit. p. 1134. & infra: *Item dicit, se interfuisse processioni Ramolivæ* & pag. 1072. *Testatur, quod portavit Crucem obviam Archiepiscopo, & ad Sanctum Michaelem die Ramolivæ*.

Dies festus pro Imperatore. Hujus diei festi cit. Puricellus mentionem facit pag. 1070. *Item testatur se vidisse Zaninum scartabiam portare Crucem ante Abbatem Ambrosium in die festi, quod celebratur pro Imperatore Federico, & filio ejus Anrico.... Scartabia portavit Crucem pro festo, quod celebrabant pro Imperatore Federico.... In die processionis, quæ fiebat ad honorem Federici Imperatoris, & ejus filii*,

Dies solis, ideſt dies Dominicus, ut ex Juſtino Martire Apologia ſecunda, dicente, hoc die fieri omnium conventum, legique ſcripta Apoſtolorum, & Prophetarum, & ab eo, qui præſidet, Orationem haberi, qua populum inſtruit.

Dies Cœnæ Domini : dies Panis, dies Lucis, dies Indulgentiæ, dies Natalis Euchariſtiæ vocatur feria quinta majoris hebdomadæ.

Diapſalma : Pauſa, ſeu intervallam in recitatione Pſalterii : *Legimus in* 49. *Pſalmo ſub ſecundo diapſalmate Spiritum ſanctum dixiſſe* : *peccatori autem dixit Deus* : Optat. Milev. lib. 4.

Dipnon à Græcis vocatur divina Liturgia, ideſt *Cœna*.

Diptycha, ſunt tabulæ, quæ duas habent plicas. Diptycorum autem tria erant genera. Primum erat peculiare Epiſcoporum, qui illam rexerant Eccleſiam, dummodo ſanctitate clauruiſſent. Secundum illorum ſeu vivorum, ſeu defunctorum, in quibus eorum deſcribebantur nomina, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Eccleſiæ collatis coſpicui, aliove titulo benemeriti erant. Tertium erat Mortuorum, qui in catholica communione deceſſerant. Quod autem ad primum genus ſpectat, pro ſolis Epiſcopis cum ſanctitatis opinione vita functis, talis inſcriptio ſpeciem quamdam Canonzationis habebat.

Sacra-

Sacrarum tabularum recitatio deprædicet eos, qui sanctè vixerunt, & ad studiosæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt. Dionys. in Theor. c. tertio. Erat autem pœna gravis, & summa ignominia è dipticis deleri; ab illis enim soli schismatici, hæretici, & excommunicati expungebantur; quare Anastas. in Agathonem. *Abstulerunt de Diptycis Ecclesiarum nomina Patriarcharum.* Hæc autem Diptyca legebantur inter Missarum solemnia in primo *Memento*, seu commemoratione pro vivis ad illa verba, signata N.N. In altera parte Tabellæ scripta erant nomina defunctorum, & recitabantut in altero memento. *Post illa verba, quibus dicitur;* In somno pacis, *usus fuit antiquorum, sicuti etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitentur ex dipticis nomina Defunctorum &c. Alcuin. de celebrat. Miss.*

Directorium Chori. Liber in quo continentur, quæ in Choro sunt dicenda, quo ritu, quibus cæremoniis &c.

Discon. Quam Latini Patenam vocant, hanc Græci *Discon* nominant.

Discus, vas magis cavus & capacius Patena, ne panis, aut micæ Sacramenti excidant. *Discus lectica est, in qua Corpus Domini a Sacerdote & Diacono componitur, qui sunt Joseph & Nicodemus.* S. Germanus in Theoria.

Dispa-

Disparo: disparare, ornamenta auferre, tollere &c. *Circumcisio Domini celebratur sicut una de superioribus festivitatibus, excepto quod aula Monasterii non ornatur, quę quinta Dominicæ Nativitatis die disparari debet*. Lanfranci statuta.

Dominica, dies Domini, dies lucis, dies panis &c. a PP. vocatur.

Dominicas totius anni hoc pacto enumerat, ac distinguit S. Romana Ecclesia, idest.

Dominicæ Adventus quatuor, post quas aliæ usque ad Dominicam primam post Epiphaniam, à qua inclusivè usque ad Septuagesimam sex aliæ numerantur, post quas Sexagesima, Quinquagesima, & Quadragesimæ Dnminicæ sex. Dominica Resurrectionis, postquam Dominicæ quinquæ usque ad Ascensionem: Dominica infra octavam Ascensionis, Dominica Pentecostes, & post illam Dominicæ vigintiquatuor, usque ad Adventum.

Dominicarum autem anni diversum servat ordidinem Mediolanensis Ecclesia, videlicet.

Dominicæ Adventus sex, quarum postrema dicitur, De *Incarnatione Domini*, in qua binæ assignantur Missæ. Dominicæ post Epiphaniam sex. Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ.

Dominica prima, dicta in çapite Quadragesimæ.

Dominica 2., dicta de Samaritana.

Domi-

Dominica 3. quæ dicitur de Abraham.
Dominica 4. appellata de Cæco.
Dominica 5. nuncupata de Lazaro.
Dominica Palmarum.
Dominica Resurrectionis.
Dominica prima post Pascha, dicta in *Albis depositis*.

Dominica Mediana, apud veteres, erat Dominica in passione Domini: ut apud Martene lib. 3. cap. 11. num. 26. Cur autem ab hac Dominica non amplius dicatur Gloria Patri ad Responsoria &c. ad Introitum &c. hanc rationem afferunt Consuetudines Grandimontenses, c. 15. *Quia in Dominica in Passione Domini incipit Ecclesia recitare ignominiam passionis Christi; & gloria Christi cum ignominia Passionis ejus dicenda non est congruè*.

Dominica media omninò diversa erat, à Dominica Mediana, ut ex sequentibus: erat enim Dominica quarta Quadragesimæ. quasi enim mediat inter omnes jejunii dies. *Sunt præterea in anno quinque Dominicæ, quæ præ cæteris paulò festivius celebrantur, ... quarum prima est Dominica Septuagesimæ, Dominica I. Quadragesimæ, & media Dominica*. Consuetudin. S. Benigni: & illæ S. Germani à Pratis: *Dominica in medio Quadragesimæ, qua canitur Lætare*. Et Consuetud. Compendienses. *Sabbato mediæ Quadragesimæ parabi-*

rabitur Ecclesia, & sonabit classicum. Ritu Ambrosiano hæc Dominica vocatur de *Cœco*: in illa enim legitur Evangelium cœci nati: ingressa autem incipit: *Circumdederunt me gemitus mortis &c.*

Dominica Lætare, quarta Quadragesimæ, sic appellata quia introitus Missæ illius Dominicæ incipit *Lætare Hierusalem*, dicta, etiam.

Dominica panis, Evangelium enim de multiplicatione panum in ea legitur.

Dominica Judica me: Dominica Passionis. Lib. Usuum Cistercien. *Sollicite provideatur, ut ante Dominicam, qua canitur offitium Judica me Deus &c.* Hæc Dominica ritu Mediolan. dicitur de Lazaro, cum in eà legatur Istoria Lazari resuscitati. Ingressa hæcest. *Videns Dominus sororem Lazari ad Monumentum, lacrymatus coram Judæis, exclamavit: Lazare veni foras, & prodiens ligatis manibus & pedibus stetit ante eum, qui quatriduanus fuerat mortuus.*

Dominica nova à Græcis dicitur *Dominica in Albis*; in ea enim deponebantur albæ vestes.

Dominica etiam in Albis depositis ritu Ambrosiano nuncupatur prima Dominica post Pascha, & in Sacramentar.o.

Dominica post albas: in illa enim Dominica, sive Sabbato præcedenti Neophyti albas vestes deponebant.

Dominica de Rosa erat Dominica post Ascensionem

nem

nem, in qua ex Tholo S. Mariæ ad Martyres Romæ proijciebantur Rosæ, ad prænotandum adventum Spiritus Sancti. Durandus lib. 6. c. 107. *Tum etiam ex alto ignis proiicitur .... & etiam flores varij, ad denotandum gaudium & diversitatem linguarum.*

Dominica excarnaliorum. Vide *Carnis privium*.

Dominica Palmarum, in ea enim Palmæ, seu Olivæ benedici solent, proinde etiam dicta *Dominica florum Hosanna*, *Pascha petitum*. Dicebatur etiam *Sabbatum S.*, ut in lib. 3. de gestis Sanctorum Rotonensium, c. 1. Vide Martene lib. 3. c. 12. n. 1.

Dominica in Brandonibus: Dominica prima Quadragesimæ. Consuetud. S. Germani apud Martene: *Dominica in Brandonibus festum in albis de quinque cereis*: Vide supra *Brandones*.

Dominica Sanctarum. Tertia Dominica post Pascha, in qua Græci celebrant festum sanctarum mulierum, quæ venientes ad sepulchrum, ut ungerent Corpus Jesu, illud non invenerunt. Ex Tipico S. Sabbæ.

Dominicale. In veteri Ecclesia hoc erat discrimen viros inter, ac Mulieres in susceptione Eucharistiæ, quod Viri nuda manu, mulieres vero subjecto linteolo illam accipiebant. Porro linteolus iste, *Dominicale* vocabatur: *Non liceat mulieri nuda manu Eucharistiam accipere*. Concil. Antissiodo-

ren. can. 36. Can. 42. *Unaquæque Mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat: quodsi non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet.*

Dominicum Sanctum: Dominica Palmarum: *Dominico Sancto ad Vigilias classicum sonet ad excitandos fratres*: Usus Beccenses.

Dominicum, idest Missa: est enim functio maxima, quæ agitur, ex Christi institutione, & ex Ecclesiæ præcepto. *Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare, debemus, ut Mysticum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Cyprianus epist. 36. ad Cæcilium: & lib. de ep. & eleemosyn. *Locuples es, & dives, Dominicam celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis.* Et in actis S. Saturnini. *Christiani sumus, & sine Dominico esse non possumus. Dominicum cum fratribus celebravi.*

Dominicum quoque pro Templo ab antiquis usurpatum fuit; cujus nomenclaturæ rationem reddit Eusebius orat. de Laudibus Constantini, cap. IV. *In urbibus ac pagis fana ac delubra in honorem unius omnium Regis, ac Domini dedicavit, unde etiam Doni vocabulo honorata sunt... ab eo quippe Dominica appellantur.*

Dorsale, Dorsalia, Dossalia, sunt panni in Ecclesia, seu in choro pendentes a dorso Clericorum, aliàs Aulæa, seu Tapetia. Durand.

rand. lib. 1. Rational. c. 3. n. 23. Apud Parisium legitur, quod Richardus Abbas Ecclesiæ suæ dono dedit *Dossale unum*, sive *Tapetium* in quo passio S. Albani figuratur. Et Udalricus l. 1. c. 11. *In choro duo dorsalia, & sex in præsbyterio suspendantur*, & infra, *Tota Ecclesia à fine usque ad finem dorsalibus repleatur*.

Doxologia magna à Græcis nuncupatur Hymnus Angelicus, idest *Gloria in excelsis &c.* & ab illis in Matutinis, & Laudibus recitatur.

Doxologia quoque dicitur SS. Trinitatis glorificatio idest: *Gloria Patri, & Filio &c.*

Draco, Dracones portatos fuisse in processionibus, patet ex veteri Cassinensium ordinario, seu Calendario relato a Martene loc. cit. lib. 3. c. 12. & quidem in Dominica Palmarum: *Præeunt Vexilla, & Draco*. In die Cœnæ Domini, l. 3. c. 13. *Pergunt ad ostium Ecclesiæ, ferentes hastam, cum imagine serpentis*. Et cap. 2. in die quoque Ascensionis. *Præeuntibus vexillis, & Dracone*. In Rogationibus delatos quoque fuisse dracones, & serpentes, innuit Sacerdotale, c. 4. *Postea sequuntur vexilla, si portanda sunt. Deinde portentur serpentes & dracones super perticam, & maximè in Rogationibus* & alibi: *in aliquibus Ecclesiis solent portari Dracones & lupi super porticas, ad denotandum causam, quare in-*

ſtituta fuerit proceſſio. Alicubi portabantur ſubter crucem, ad denotandam victoriam de Dracone infernali reportatam. *Labarum, quem dicunt Draconem, in ſpeciem crucis Dominicæ*. Joan. de cultu Imaginum.

Duodecima, Veſperarum hora, eo quod hora duodecima diei cantaretur. *Prima debet ſic dici, quomodo duodecima, quæ dicitur Veſpera*. Magiſter Reg. c. 34.

E

Eccleſia ex communi loquendi uſu idem ſignificat, ac Templum: primis tamen ſeculis non Templi, ſed Eccleſiæ nomine utebantur fideles. Templa enim tunc vocabantur ædificia ingentia, in quibus animalia Idolis immolabantur. Quare Hieronym. epiſt. ad Ribarim adverſus Vigilantium: *Mortuo cadaveri, atque polluto præbebant excubias, ut poſt multa ſecula Dormitantius ſomniaret, imò eructaret immundiſſimam crapulam: & cum Juliano perſecutore Sanctorum Baſilicas aut deſtrueret, aut in Templa converteret*.

Eccleſia Hiemalis, *Eccleſia æſtiva*. Ad hæc uſque tempora frequens eſt harum Eccleſiarum mentio in Miſſalibus, & Liturgicis libris Ambroſiani ritus. Erant autem ambæ Matrices, in quibus Clerus Synaxim agebat, æſtivo tempore in una, hyemali ve-

ro in altera. In rubricis Dominicæ sextæ Adventus. *Missa in Ecclesia Hiemali*. In die S. Paschæ *Missa pro baptizandis in Ecclesia Hyemali*. Hyemalis porro B. Mariæ sacra erat: & Æstiva SS. Virginibus, & Martyribus Theclæ, & Pelagiæ. Hinc apud Puricellum pag. 368. *Intus ab hac Civitate ad Ecclesiam B: Dei Genitricis Mariæ, quæ dicitur Hyemalis, & Sanctarum Teglæ, & Pelagiæ, quæ dicitur Æstiva.*

Embolismus est illa Oratio, quæ immediatè sequitur Orationem Dominicam in Missa, scilicet *Pater noster &c.* Ab aliquibus vocatur, *Interpositio*, *Excrescentia*, *Superaugmentum &c.* in ea siquidem magis exprimuntur mala illa, à quibus liberari petimus, præterita scilicet, præsentia, & futura.

Embolus, Porticus Ecclesiæ, sumpta denominatione ab Embolio, quod introductionem significat: per porticus enim patet adytus ad Ecclesiam: olim in illis variæ pingebantur historiæ sacræ.

Encænia, innovatio, seu Dedicatio Ecclesiæ. *Facta sunt Encænia apud Constantinopolim, & recondita sunt Lipsana Andreæ & Lucæ Apost.* Paulus Diac. lib. 16.

Enchirium Linteum, quo manus absterguntur, S. Germanus in Theor. *Enchirium, quod est in zona, linteum est, quo manus extersit suas.* Loquitur autem de Linteo, quo ma-

nus lavit suas Pilatus, cum Jesum tradidit Judæorum voluntati.

Encolpium Crux pectoralis, intus Sanctorum Reliquias habens. *Imposuit supra colla nostra Encolpium, idest Crucem cum pretioso ligno, vel reliquiis suspensam &c.* Synod. 8. act. 5.

Endotis, Endistis. Tobalea, seu linteamen pro cooperiendis altaribus. Agnell. in Vita S. Maximi Ep. Ravenn. *Donavit & endotim Bissinam, pretiosissimam, omnem Christi Dei historiam continentem, quo in die Epiphaniæ aram maximam exornari consuevisse testatur*.

Energumenus: a Dæmone obsessus, agitatus &c. Isti, Diaconi voce ab Ecclesia simul cum catechumenis eiiciebautur his verbis: *Ite Energumeni*. Concil. Eliberit. can. 29. *Energumenum, qui ab erratico spiritu agitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum*, dicitur & *Arreptitius*.

Enophotius: Lampas unius luminis, *obtulit canistra enophotia ex argento purissimo*. Anastas. in Benedicto III. *Exaphetius* lampas novem luminum. Anastas. in Leone III. *Canistra Enneaphotia*,

Ephod, Amictus, seu Humerale. *Hinc Humerale, quod in lege Ephod, apud nos Amictus dicitur sibi imponit*. Gemma animæ l. 1. c. 201. S. Hieronymus epist. 128. ad Fabio-

Fabiolam docet, quod ubicumque in Scriptura legitur *super humerale*, illud apud Hebręos *Ephod* appellatur; duo autem erant species Ephod, unum simplex, & lineum de quo hic actum amictus dictum, quod deferebant inferiores Sacerdotes; aliud honorificentius ornatum pro usu Pontificum de primo agitur 1. Reg. 2. 2. Reg. 6. De Ephod verò pontificali, ejusq. structura agitur Exodi 28. & 39.

Epigonation, *Epigonatium*, habitus Sacerdotalis, formæ quadrangularis palmi, & dimidii, ex utroque latere, quod è zona appensum gestatur, solisque Episcopis, & aliis in dignitate constitutis permittitur.

Epimanicion apud Græcos, Latinis est Manipulus.

Epinicion, Hymnus, quem Græci triumphalem vocant: & est ille, quem post Præfationem omnes simul modulantur: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus &c.*

Præclare S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. *Cherubim*, *& Seraphim indefessis vocibus laudant*, *& dicunt Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Sabbaoth &c.*

Hymnum hunc additum Sacrificio Missæ a Sixto primo quidam scribunt: sed ille solum constituit, ut Sacerdote ipsum incipiente, populus eumdem cantaret. Concil. Vasense, anno 529. *In omnibus Missis*, *etiam*

etiam in illis quæ in defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine quo ad Miſſas publicas dici debet.

Epiſcopa, quæ fuerat uxor viri ad Epiſcopatum aſſumpti: licet quidam velint eam eſſe Presbyteram. Concil. Turon. c. 13. *Epiſcopum Epiſcopam non habentem, nulla ſequatur mulierum turba.*

Epiſcopium ſumi poteſt & pro Epiſcopatu, & pro habitatione Epiſcopi, & pro ejus diæceſi. Floridoardus l. 2. c. 12. *Carolus Rex Rogobertum Epiſcopatu deturbavit, & cuidam Miloni, ſoli tonſura clerico, dedit hoc Epiſcopium.*

Epiſcopalis ſalutatio. ideſt illa verba, quæ dicit Epiſcopus ſalutando populum, dum Miſſam celebrat, ideſt *Pax vobis*: S. Petrus Damiani in lib: cui tit. *Dominus vobiſcum*, Græci dicunt *Pax omnibus*.

Cum ingreſſus fuerit is, qui præeſt Eccleſiæ, ſtatim dicit Pax omnibus. Quando ſermonem facit: & concionatur: Pax omnibus: quando benedicit. Pax omnibus. Quando jubet oſculari. Pax omnibus. Joannes Chryſoſtom. homil.3. in Epiſtol. ad Colonenſes. Cyrillus in Joan. libr. 12. *Salutat diſcipulus uſitata illa voce Pax omnibus.*

Epiſtola ſemper dici debet poſt Collectam, ſeu orationem. Hæc in omnibus Sacramentorum codicibus venit, ſub nomine, ſeu voce

Apo-

Apostoli, quia ut plurimum sumitur ex Epistolis S. Pauli: ideo quum Patres dicunt: *Post collectam*: *sequitur Apostolus*: semper intelligendi sunt de Epistolis Sancti Pauli. Ritu Ambrosiano non dicitur *Lectio Epistolæ*, sed absolutè *Epistola*. Vide sub verbo *Apostolus*.

Epistolarium liber in quo continentur Epistolæ omnes intra annum legendæ.

Epistolella apud Ambrosianos est Capitulum, quod legitur in fine singularum Horarum Canonicarum.

Epitrachelion, sic vocatur Sacerdotalis stola apud Græcos, differt autem a stola Diaconali, seu ab Orario, quia stola est latior orario, nec ullis notis exarata, sicut Orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est. *Agios*.

Epomadion apud Græcos idem significat ac apud Latinos *Pallium*. Magna autem differentia est inter utrumque quia Epomadion, seu Pallium Græcorum est longa faxia paullò latior latino Pallio, collum primò involvens, tum à collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus similiter intertexta. Vocatur etiam *Omophrium*.

Erga: *Hercia*, Candelabrum ferreum, in modum, occæ, seu trigoni confectum, super quod imponebantur candelæ, seu Lampades in Ecclesia. Lanfranci Statuta apud Marthene l. 4. c. 1.

Sta-

Statutum est, ut magnæ illæ coronæ, ex ære auro, argentoquæ elegantissimè compositæ, quæ in medio chori forti catena sustentatæ dependent, accensi cerei non imponantur, nisi in quinque præcipuis festis. In reliquis verò festivitatibus, quibus accendi solebat machina illa ferrea, quæ vulgò Erga vocatur, pro illa lampadibus vitreis illustretur.

Evangelia. Hæc tanto in honore semper habita fuere apud Fideles, ut in octava Synodo c. 3. decretum fuerit pari honore venerandam Christi crucifixi imaginem, ac sanctorum Evangeliorum codices. Proinde thecis aureis gemmisque pretiosissimis Evangeliorum liber ornabatur: quorum ornamentorum rationem reddit Rupertus Abbas lib. de div. offitiis c. 23 dicens. *Codices quoque Evangelii auro & argento, lapidibusque pretiosis non immeritò decorantur; in quibus rutilat aurum cælestis sapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent, miraculorum pretiosi Lapides:* Moscovitæ, seu Russi, non audent. Evangelium tangere, nisi priùs laverint manus seque signo crucis munierint, & caput inclinaverint. Evangelium porro lectum fuisse in omni Conventu, statim ac scriptum fuit, communis est omnium Patrum consensus.

Ambrosiano Ritu, in Metropolitana præcipuè,

puè, juxta D. Caroli institutionem, Diaconus in Missa solemni, priusquam Evangelium cantet, alta voce dicit: *Tarcite fabulis*: & unus ex Custodibus subdit: *Silentium habete*, altero Custode respondente: *Habete silentium*.

Evangelium S. Joannis in fine Missæ legi præcepit S. Pius V. cum antea ad libitum legeretur, ut constat ex pluribus Missalibus, tam editis, quam Mss. & hoc Evangelium semper legunt Ambrosiani quocumque festo, seu vigilia incidente, semper enim in Dominicis de Dominica offitium peragunt, & in feriis de feria, vel pro defunctis.

Evangelium Missæ præcedebat aliquibus in Ecclesiis Antiphona dicta *Ante Evangelium*, cujus meminit Radulphus Tungrensis de Can. observ.poposit.23. Loquens de Evangelio. *Ante quod, & post quod cantantur antiphonæ quæ dicuntur ante Evangelium, quibus carent Romani*. Hanc antiphonam ante Evangelium præcipit Missale Ambrosianum in die Epiphaniæ, ut ex Rubrica: *Antiphona ante Evangelium. In Bethleem Judæ Salvator natus est. Herodes turbatus est, totus mundus gaudet: Joannes testificans super flumen Jordanis: Qui post me venit, ante me factus est.* Nomine verò Antiphonæ post Evangelium, venit Offertorium.

Evangeliarium liber continens Evangelia.

Euca-

Eucharistia licet rigorosè significet *gratiarum actionem*, sub ejus tamen nomine a S. Basilio in Regula veniunt & Vesperæ, eo quod ad referendas Deo gratias pro beneficiis per diem acceptis sint inilitutæ.

Eucharistiæ, seu SS. Sacramenti expositio pro oratione 40. Horarum Mediolani initium sumpsit sub Francisco secundo Duce, anno 1534. promovente quodam Bono Cremonensi. Romæ autem initium habuit sub Clem. VIII.

Euchologium a Græcis nuncupatur Ritualis liber continens orationes pro recta Sacramentorum administratione.

Eucteria apud Græcos Ecclesiæ omnes sæpe vocantur, illæ etiam, quæ a Latinis oratoria dicuntur.

Eulogia Græcè, latinè Donum, sive Benedictio interpretatur. Cum olim fideles panem offerrent pro Sacrificio Missæ, Sacerdos tot partibus reservatis, quot pro Sacrificio necessariæ erant, & pro fidelium communione, reliquum in partes dividebat, & his, qui in Missa minimè communicaverant, distribuebat: qui mos adhuc permanet in Ecclesia orientali. Porro panis iste sub Eulogiæ nomine veniebat. Concil. Nanneten. c. 9. statuit, ut Eulogiæ in fine Missæ, iis, qui communicare parati non erant distribuantur.

Eulogia, quoque pro ipsa Eucharistia usurpata reperi-

peritur. *Accedimus ad mysticas Eulogias, & sanctificamur, participes facti sacræ carnis, & pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi*. Cyrillus Alexandrin. epist. ad Nestorium: & S. Maximus Martyr ad c. 3. Ecclesiast. Hjerarch. *Elevans Sacerdos sacrum panem, ostendebat Eulogiam dicens: Sancta Sanctis.*

Exedræ erant Sedes pro Sacerdotibus dispositæ per interiorem Sanctuarii partem seu circuitum; atque his altior erat Cathedra Episcopalis in medio Sanctuarii collocata.

Exomologesis Græcè: Latinè autem Confessio. Hæc vox Exomologesis in diversa significatione a multis accipitur: & quidem primò pro peccatorum publica reconciliatione, quæ communiter incipiebat primo Quadragesimæ die. *Qui libellos à Martyribus acceperunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo, occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin ad Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possit*. S. Cyprianus lib. 3. epist. 17. Ex quibus verbis clare patet hic accipi Exomolegesim pro reconciliatione non sacramentali, sed purè cæremoniali; hanc enim solam, non verò primam Diaconus dare poterat.

Exomologesis secundo sumitur pro generali illa Con-

Confessione, quam Sacerdos Missam celebraturus ad pedes altaris facit per illa verba: *Confiteor Deo omnipotenti &c.* & vocatur *Apologia Sacerdotis*. Plures ex hujusmodi Apologiis videre est apud Card. Bona, Rer. Liturg. l. 2. c. 1. Vide etiam *confessionem dare*, *donare &c.*

Baptizandi quoque adulti, baptismo hanc præmittebant peccatorum confessionem, seu exomologesim: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum &c* Tertull. lib. de Baptismo c. ultimo. Quæ verba sanè non de sacramentali confessione sunt accipienda, ut patet, non enim nondum initiatus, Sacramentalis absolutionis erat capax.

Emologesis tertiò accipitur pro Sacramentali, seu auriculari Confessione, de qua cit. Tertullian. lib. de Baptismo cap. 20. *Nobis gratulandum est, si non publicè confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras*. Similiter S. Cyprianus suum Clerum arguit, quod lapsis ausus fuerit Eucharistiam dare, *nundum pœnitentia acta, nundum exomologesi facta*. Epist. 10. & Epist. seq. *Æstimato justo tempore, postea exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat*.

Exomologesis quartò accipitur pro publica Processione, seu supplicatione facta: una cum

cum externis pœnitentiæ signis ad Deum placandum, ejusque misericordiam implorandam in aliqua gravi necessitate: unde Concil. Toletanum Can. 6. *Pro incolumitate Principis nostri, atque salvatione populi, & indulgentia totius peccati, & à cunctis fidelibus expulsione diaboli, Exomologeses celebrentur.*

Exorcista: Clericus ex Minoribus Ordinibus, cui ex commissione spectat exorcismos super Energumenos legere, & dæmones ab obsessis corporibus expellere.

Exorcismus. Adjuratio: Fiunt autem exorcismi a Sacerdote antequam baptizet per illa verba *Exorcizo te omnis immunde spiritus &c.* In benedictione aquæ, & salis: *Exorcizo te creatura aquæ, creatura salis &c.*

Extensis manibus collectæ, seu orationes debent semper dici, qui mos antiquissimus est. Quare Tertullian. in Apologet. c.30. *Manibus expansis, capite nudo, quia non erubescimus, precantes semper sumus.*

Et lib. de oratione c. 11. *Nos non attollimus tantum manus, sed etiam expandimus, e Dominica Passione modulatum.*

Exsuflo: detestor, maledico &c. *Quis, rogo, fidelium non statim cum ipsa magia detestetur & exsuflet.* Beda l.5. hist. Anglic.22. Exsuflatione quoque fideles, dæmones eijciebant: Tertull. lib. 2. de Uxore: & libro de Idololatria: Quo ore *Christianus*

thurarius, si per templa transibit, aras expuet, & exsufflabit. Vox *Thurarius* significat illam, qui thus Idolis adhibuerat. In benedictione quoque Fontis baptismalis in Sabbato Sancto, Sacerdos sufflare debet ter in aquam in modum Crucis ante illa verba: *Totamque hujus aquæ*.

F

FAcio: *Facere* universaliter apud sacros, & profanos Scriptores sacrificare significat; ideo & ipsum Sacrificium *Agenda* nuncupatur, seu ordo agendj, ex Augustino epist. 118. c. 6.

Facere signacula, seipsum signo Crucis signare & Evangeliorum librum, ut apud Martene lib. 4. c. 21. *Dum Chorus respondet Gloria tibi Domioe, Abbas factis signaculis sicut supra dictum est, stans textum Evangeliorum incenset*.

Facere ante & retro, frequentissima est vocis, seu ritus istius mentio in Ritualibus Monachorum; sumitur autem ad significandam salutationem, seu inclinationem duplicem, quæ fit a dextris & a sinistris: tamen aliquando etiam accipitur pro simplici inclinatione.

Facere fidelitatem, idest jurare, promittere. *Abbas faciat fidelitatem super textum sancti Evangelii, quod secundum posse suum ser-*

servabit jura, & consuctudines Ecclesiasticas, & res alienatas revocabit. Apud Martene l. 5. c. 1.

Facere Litaniam: Litanias recitare, ut plures apud cit. Martene: *Novitiis prostratis in terram fiant Litaniæ*.

Facere incensum: Incensare, Thurificare &c. *Sacerdos facit incensum super Altare.... Diaconus facit incensum circum Altare* Martene l. 2. c. 4. & ibidem n. 27. *Sacerdos suscepto thuribulo facit incensum super Calicem, & Oblatas, & reddat thuribolum Diacono, cum quo Diaconus facit incensum in circuitu Altaris*. Porro hic ritus adhuc servatur in Ambrosiana Ecclesia.

Facere commendationem, idest Absolutionem Defuncti præsentis. *Abbas facit commendationem &c.* Martene l. 5. c. 10. & alibi. Dicitur autem *Commendatio* ab hac collecta. *Commendamus tibi Domine animam famuli tui*.

Facere obitum, Missam scilicet, & Defunctorum Offitium cantare pro aliquo Defuncto. Ms. Rituale Monasterii Corbejensis, tit. De morte Papæ, apud Martene l. 5. c. 19. n. 31. *Quando Papa mortuus est, & sumus, in Ecclesia nostra, debemus facere unum obitum solemnem pro anima ipsius .... Item dictum obitum debemus facere omnino altum, & solemnem, videlicet pulsare magnas campanas in obitu, & ad Missam, &*

ante magnum Altare debemus ponere solemniter unum pannum aureum, & quatuor candelabra &c.

Facere *Aquam sanctam*, ideft Aquam benedictam, seu jam benedictam aspergere, & aliis dare &c. *Præsbyter, qui habet septimanam ex illis Monachis, qualibet die Dominica vadit revestitus in Chorum B. Ambrosii, ibi facit Aquam sanctam, & dat de illa, & proijcit ad Altare B. Ambrosii in circuitu, & postea dat de illa Abbati.... Postea ad Altare Sancti Pantaleonis, & ad Archiepiscopos, qui ibi sunt sepulti.* Puricellus loc. cit. pag. 1155. &c.

Facere *benedictionem*. Benedicere: *Post Missam sonet classicum: Abbas, vel illæ, qui Missam cantavit, post accipiat Crucem Caroli, & faciat benedictionem*. Consuetud. Dionissianæ.

Facere *fractionem*: Hostiam consecratam frangere. *Si aliquis Sacerdos celebrans Divina, faciat fractionem ante Pater noster per oblivionem..... Si aliquis Sacerdos cantat Missam, & faciat post Agnus Dei fractionem &c.* Consuetud. Corbejen. & Compendien. apud Martene &c.

Facere *offitium*: Missam solemniter celebrare, sive cantare. *Adorata Cruce, & super Altare collocata, Domnus Abbas, vel Sacerdos faciens officium &c.* Martene.

Facere, idem ac Idolis sacrificare Concilium

Illi-

Illiberitanum: *Placuit inter eos, qui post fidem baptismi salutaris ad templum Idololatricus accesserit, & fecerit, quod est crimen principale, & summum, placuit eum in finem cum Communione recipere.*

F*aldistorium*, seu *Fandistorium*: humilior sedes pro Episcopo extra Diœcesim, vel coram alio majori Prælato celebrante. *Fandistorium* quoque dicitur locus ille, a quo Pontifex perorabat. Episcopus enim ad populum verba facturus, non e cathedra superiori, seu Exedra hoc præstabat, neque ex ambone, sed ei apparabatur mobilis Cathedra supra eminentiorem altaris gradum ex qua concionabatur.

F*anon*: Vox Saxonica, expansum, vel extensum significans. Rabanus Maurus lib. 1. de Institut. Cler. e. 18. *Quartum Sacerdotis indumentum mappula, seu mantile, quod vulgo* Fanonem *vocant, idest manipulus.*

F*anon* quoque nuncupatur peculiare illud summi Pontificis ornamentum, quo induitur solemniter celebrans; idest velum sericum subtilissimum, diversis coloribus virgatum, quod post Albam & cingulum capiti imponit, & replicat super humeros, & ante pectus.

F*anon* item in ordine Romano, est velum illud, quo utitur Subdiaconus, dum Patenam tenet, & quam porrigit Diacono post finem orationis Dominicæ: vulgò: *Conti-*

nentia : Post quam viderint Calicem in quo Sanguis Domini est, Fanone circumdatum, & audierint : Sed libera nos à malo &c.

Fanon etiam pro Sindone accipitur. Ordo Romanus. *Cantores cantant offertorium cum versibus; & populus dat oblationes suas, idest panem & vinum, & offerunt cum Fanonibus candidis primò masculi, deinde fœminæ*. Fanones autem fuisse Sindones, patet ex ipsius ordinis expositione apud Cassandrum.

Mediolani in Metropolitana ad hæc usque tempora viget hic ritus: in Missa enim solemni celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum descendit ad ingressum Presbyterii, ubi extensa sindone, quæ per Diaconum, & Subdiaconum tenetur hinc inde, recipit oblationes panis & vini à duobus senibus peculiari habitu indutis: tum descendens ad ingressum chori inferioris, easdem oblationes recipit a duabus mulieribus provectæ ætatis speciali item habitu indutis.

Fanulus, Manipulus Sacerdotum & Sacrorum Ministrorum, sic appellatus, quasi parvulus *fanon* Consuetudines Benignianæ apud Martene.

Sequatur Diaconus indutus cum stola & fanulo, candelam sine lumine portans. Postmodum Sacerdos indutus alba, cum stola, & Fanulo: ***Favon*** ab aliquibus etiam dicitur.

Fa-

F*asterla* : Velum, vel ligamen : *Crux ab Armario duabus fasterlis, dum Missa minor cantatur, cooperta apportatur a duobus albatis*. Martene l. 4. c. 8.

F*astigium* : Baldachinum : *Fecit argenteum fastigium quod habet in fronte Salvatorem sedentem*. Anastas. in Silvestro.

F*asti*, Calendaria, in quibus Fidelium festivi dies scribebantur. *Habes tuos census tuos Fastos, nihil tibi cum gaudiis seculi*. Tertullian. de Corona milit, c. 13.

F*audestola* : *Faudestolus* : Cathedra mobilis, throno minor, in qua nunc hic, nunc illuc sedetur, *Tunc affertur ei Faudestolus, in quo sedeat*. Martene l. 2. c. 3. Faldistorium.

F*enestra* : Hic accipitur pro Tabernaculo, in quo repositum adservatur Corpus. D. N. J.C. *Lecturus Evangelium benedictione accepta accedat ad analogium cum reverenti inclinatione ad fenestram venerabilis Sacramenti, si eam petransire habuerit*. Consuetud. S.Germani a Praris *Bursfeldenses simpliciter post Missam sacram Eucharistiam includunt fenestræ, in qua Sacramentum recondi consuevit*. Martene l.3. c.23.n.47. agens de Fer. quinta in Cœna Domini, ex eorum ordinario c. 26.

F*eretrum* Capsa, Arca, Theca, in qua SS.Corpora, vel Reliquiæ includuntur. *Postquas sequuntur duo clerici in cappis, qui ferant fere-*

feretrum S. Firmini. Post hos quidam Monachus ferat Lanternam cum cereo accenso juxta feretrum Martene l. 3. c. 19.

Feretrum : In processione, quæ fit in Dominica Palmarum, etiam Corpus D.N.J.C. olim portatum fuisse, patet ex statutis Lanfranci.

Interim Cantore incipiente antiphonam. Occurrunt turbæ, exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent Feretrum, quod parum ante diem ab eisdem Sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo & corpus Christi debet esse reconditum.

Feriæ Ne Christiani cum Gentilibus in dierum appellatione convenire viderentur, placuit primis fidelibus dies Feriarum nomine distinguere, ut usque nunc servatum videmus.

Feriæ de exceptato ritu Ambrosiano vocantur omnes illi dies, qui ab ultima Adventus Dominica usque ad Nativitatem Domini decurrunt, & majori solemnitate celebrantur.

Feriæ in Autentica juxta eundem ritum, sunt tres illi dies post Dominicam Palmarum usque ad feriam quintam, in quibus color rubeus adhibetur.

Fermentatus panis. An in primis Ecclesiæ seculis in sacrificio adhibitus fuerit, variæ sunt eruditorum sententiæ. De quibus viden. Card: Bona in opere Liturg.

Fer-

Fermentum aliqui volunt nihil aliud fuisse, quam panem benedictum, qui populo destribuebatur, & ad Ecclesias & Paræcias mitti solebat in signum communionis, seu communicationis ecclesiasticæ, & catholicæ. Nonnulli vero volunt ipsam fuisse Eucharistiam. De hoc diffuse Card. Bona lib. cit.

Ferramentum caracteratum: Ferrum illud, in quo coquuntur hostiæ, seu oblatæ pro Sacrificio Missæ. Quod autem Hostiæ non consecratæ, seu oblatæ apponi solerent Monachis in refectorio, certis tamen diebus, illis qui non communicaverant, patet ex Udalrico lib. 1. c. 9. *In Quinquagesima, quia de cetero nec caseum, nec ova comedimus &c. si forte sunt in promptu cruda poma, vel ea, quæ in ferramento caracterato de consperſione farinæ tenuissimæ fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ Nobulæ, a nostratibus appellantur oblatæ &c.*

Fertum offertorium, sive res oblata Deo in altari. *Offertorium tali ex causa sumpsit Vocabulum: Fertum enim dicitur oblatio, quæ altari offertur.* Isidorus lib. 6. c. 9.

Notandum hic est discrimen inter munera, & oblationes: omnia enim, quæ Deo offeruntur sive ex testamento, sive ex donatione, sive res mobiles sint, sive immobiles, sive pertineant ad Sacrificium; sive pauperum, vel Ecclesiæ sustentationi de-

destinatæ fuerint, oblationes dicuntur. Munera vero sunt, quæ non in altari, sed Ecclesiæ extra missam offeruntur.

Ferula: Baculus Pastoralis. Candulphus relatus a Puricello pag. 417. loquens de Heriberto Archiepiscopo Mediolani, qui diem suum obierat die 17. Februarij anno 1046. hæc habet: *Cujus corpus post decem menses integrum, cum summo vigore Ferulam dextera portante, oculis apertis, videntibus universis repertum fuit*. Consentit & Gualvaneus in Chronico majori cap. 244. *Post decem menses... Inventus est oculis apertis corpore integro, Baculum pastoralem cum summo vigore gerere*.

Ferula etiam appellabatur pœnitentium auditorum locus in Ecclesia, quia ibi erat pœnitentium statio sub ecclesiasticæ censuræ ac disciplinæ ferula.

Festum luminum: Dies Purificationis B. Mariæ Virginis, in ea enim die benedicuntur Candelæ. *Fidericus in Villa, quæ vocatur Antimiacum Festivitatem luminum celebrans &c.* Puricell. p. 1058. ex Radevico,

Festum Candelarum a Carthusianis vocatur, ut ex eorum ordinario cap. 1. & inter festa solemnia celebratur.

Festum luminum a Gregorio Nazianzeno vocatur Epiphaniæ dies, celebrabatur enim multis luminibus accensis. Hic ritus usque nunc servatur in Metropolitana Mediolanensi,

nensi, in pervigilio enim ejusdem diei solemnis per totam Ecclesiam fit processio ab universo clero ejusdem Basilicæ, multis cum luminibus etiam super Cruces ardentibus.

Festum Archítrichlini: Ritu Ambrosiano Dominica secunda post Epiphaniam, in qua è S. Joannis Evangelio cap. 2. nuptias in Cana Galileæ factas Mediolanensis Ecclesia recitat. *Testatur se vidisse illud altare apertum*. [idest aureum in Basilica S. Ambrosij] *in quodam die Archítriclini*: Puricellus p. 1068. & infra: *Vidit enim, quod viventibus Imperatore Federico, & ejus filio in festo Architriclini custos Canonicorum portavit Crucem*.

Festum de Agios: Anno 1105. Septimo Idus Maij Mediolani inventæ sunt pretiosæ Reliquiæ in Ecclesia S. Mariæ ad Portam, quare. *Ordinarii Cardinales sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, nec non Primicerius cum universo Sacerdotio, & Clero Mediolanensi, omnisque populus, & omnis Ordo Laicorum* sic incipit Epistola, qua statuitur festum solemne celebrari in prædicta die in eadem Ecclesia. Rem totam exponit Puricellus pag. 520. ex quo hæc tantum refero. *In prædicto autem festo ab Ecclesia æstiva usque ad prædictam Ecclesiam S. Mariæ ad Portam, ordinarii hebdomadarii Mediolanensis Ecclesiæ processionaliter vadunt sem-*

ſemper præcedentibus vicinis, & Parochianis ipſius Eccleſiæ S. Mariæ cum viridibus frondibus, & ramis arborum, candelis accenſis alligatis eiſdem, & cantantibus Agios Agios, quod eſt nomen Dei: propter quod dicitur feſtum iſtud de Agios.

Reliquiæ porro ibi inventæ hæ fuerunt. Pars de Sudario Domini, & de Synode ejus, & de lapide, ubi ſederunt Angeli nunciantes reſurrectionem D. N. J. C. & de probato ligno ſalutiferæ Crucis Salvatoris noſtri, & de Veſte S. Mariæ, & de oſſibus ſanctorum Caſti & Polimij.

Fides Catholica. Symbolum S. Athanaſii, *Quicumque vult &c.* ſeu etiam Symbolum Apoſtolorum. *His etiam non neglectis, quæ in fine Pſalterii videntur adjecta, videlicet Te Deum Laudamus, Nunc dimittis, Gloria in excelſis, Pater noſter, cum fide catholica.* Petrus Damiani opuſc. 15. cap. 9. Symbolum porro S. Athanaſii quotidiè ad Primam recitatum fuiſſe à Monachis patet ex ordinario Tullenſi S. Apri apud Martene l. 1. & 4. n. 10. Idem præcipit Udalricus lib. 1. c. 2. his verbis. *Textus fidei, ſcilicet Quicumque, a S. Athanaſio conſcriptus.* Hoc autem Symbolum quotidie recitant Ambroſiani.

Fiala: *Phiala*: Ampulla, ſeu vaſculum, in quo vinum, vel aqua pro Sacrificio continentur alii legunt *Fiola*.

Finis:

Finio: *Finire*: *Finitus*: Morior, Mori, Mortuus, mors enim finem vitæ facit. *Offitium pro defunctis nec in vigilia, nec in die agatur, nisi brevis de foris afferatur, vel frater in Monasterio finiat*. Lanfrancus c. 1. §. 3. & Consuetud. Cluniacen. *Tunc si frater nondum finitus fuerit, current omnes cantando prædictum Symbolum ... Quod si nondum finivit, repetito quater, aut amplius ab omnibus ut prius Credo in Deum &c. quo usque finiatur: numquam enim finire debet frater, nisi ibi adsint panes*.

Fistula Cannula aurea, sive argentea, qua Sanguis Christi olim e Calice hauriebatur. Ejus usum sic explicat ordo Romanus. *Diaconus tenens calicem, & Fistulam stet ante Episcopum, usque dum è Sanguine Christi quantum voluerit, sumat, & sic calicem, & fistulam Subdiacono commendet*. Conradus Episcopus in Chron. Moguntino de Missæ apparatu, ait: *Erant quinque fistulæ ad communicandum aureæ, vel argenteæ deauratæ*. Fistularum pro Communione pluribi meminit Martene cit. Divionenses Consuetud. cap. 22. *Mox ut Subdiaconus pacem accepit, fistulam argenteam, cum qua Sanguis Domini ebibi solet, in sacculo ex panno mundissimo facto reconditam de Armariolo Diacono defert ... Sacerdos verò accipiens præfatam fistulam & longiorem à gibbo partem deorsum in Domini*

mini Sanguinem mittens, breviorem verò, quæ & superior, ori immittens, posteaquam de Sanguine Domini sumpserit, eumdem calicem cum Sanguine & fistula dat Diacono, qui accipiens fistulam subtus digitos sacros &c. Fistula utitur Summus Pontifex solemniter celebrans, ex illa hauriens quantùm vult de Sanguine, reliquum ministris relinquens, qui eadem fistula ipsum absumunt. Hic usus adhuc viget in Monasterio S. Dionysii in Francia Ord. S. Benedicti, Congregationis S. Mauri: ibi enim ministri veteri more, sub utraque specie communicant, & sanguinem è Calice cum fistula hauriunt.

Flabella inter alia instrumenta Sacrificio inservientia habent Græci, quibus duo Diaconi ex utroque altaris latere muscas, & alias immundas bestiolas abigunt, ne sacra contingant. Manubrium habent longum satis, ligneum, ejusque motu ventilant Diaconi sacra Dona. Quod si Flabella desint, Linteolis & velis hoc præstant. Hildebertus Turonensis Episc. epist. 18. mittens amico flabellum, scribit: *Dum igitur destinato tibi flabello descendentes super sacrificia muscas abegeris &c.* In Consuetud. Cluniacen. editis tom. 4. Spicilegii lib. 2. c. 30. *Usus ministrorum, qui semper duo debent esse, stant cum flabello propè Sacerdotem, ex quo muscarum infestatio incipit exurgere,* donet

donec finiatur, eas arcere a Sacrificio, & ab altari, seu ab ipso Sacerdote non negligit. Et Venusinus Abbas, in vita S. Petri Abbatis Cavensis n. 1. apud Bolland. 4. Martii. *Cum in Ecclesia S. Joann. celebraret, & quidam flabelli ministerium negligenter exhiberet, Lampadem impulit, & oleum super altare fudit*. Flabella quoque dicta fuere *Ventilabra*, & de his suo loco.

Flentes erant ex numero illorum pœnitentium, qui admissi ad pœnitentiam, in porticu extra Ecclesiam commorabantur, peccata sua publicè confitentes & deplorantes, cinere & cilicio sordidati, & ad misericordiam excitandam omni ex parte compositi, pietatem ingredientium exorabant, ut pro ipsis apud Episcopum, & clerum intercederent: in hoc autem statu permanebant quidam per annum, aut biennium, juxta criminum varietatem.

Crimina porrò publica pœnitentia excipienda ad tria potissimum reducebantur, Infidelitatem, Luxuriam, Homicidium. Pacianus in Parænesi. *Reliqua peccata meliorum operum compensatione curavit Spiritus Sanctus: hæc verò tria crimina, ut basilisci afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo metuenda sunt: Quid faciet contemptor Dei? quid Sanguinarius aget? quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit?*

aut

aut consecrare sanguinem suum, qui effudit alienum? aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando in se violaverit? Ista sunt capitalia fratres, ista mortalia. Canon. 16. sive 17. Concil. Ancyrani an. 314. inscribitur: *Qui irrationale scelus commiserit, vel committunt*, idest, qui nefandè cum bruto, vel cum masculo coeunt. *Istis stupratoribus puerorum, nec in fine dandam esse Communionem* statuit Concilium Illiberitanum Can. 71. Tertullianus tract. de pudicitia: *Reliquas autem libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus ultra jus naturæ, non modò à limine, verum ab omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.*

F*letus* autem dicebatur Locus ille, in quo hujusmodi pœnitentes usque ad certum tempus pro varietate ardoris pœnitentiæ morabantur. Græci proprio idiomate *Proclausim* vacant.

F*lores*: & hos simul cum Palmarum, & Olivarum ramis benedictos fuisse colligitur ex Lanfranci Statutis cap. 1. §. 4. *Postea accedens Abbas, aut Sacerdos, benedicat Palmas, & flores, & frondes.* Et ex libro usum Beccensium. *Ponetur tapetum ante altare, & desuper flores & frondes, & palmæ, quas benedicit Sacerdos.*

F*ons*: Fontes, Urcei aquæ, seu Amulæ continentes aquam pro Sacrificio Missæ. Ordo Roma-

Romanus: *Deinde descendit Subdiaconus sequens scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphonistæ, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit, faciens crucem in calicem.*

Fontis quoque nomine venit fons baptismalis, ad quem ex S. Dunstani concordia procedere debebat Clerus in die sancto Resurrectionis. *Dehinc eatur ad Fontes, psalmum Laudate pueri Dominum, cum antiphona canentes, quem sequitur Collecta. Inde verò revertentes chorum, vel Oratorium, quod eis competens videbitur, adeant, psalmum in Exitu Israel decantantes, quem propria sequitur collecta.* Hunc ritum precedendi ad Fontem baptismalem adhuc observat Clerus Metropolitanæ Mediolanensis, per totam enim Paschæ octavam post Vesperas processionaliter ad Fontem procedit, in cujus circuitu plures tunc accenduntur lampades: eumdemque ritum aliæ quoque Ecclesiæ observant.

Formalium, *Firmaculum*, *Firmale*, vulgo *Rationale*. Cæremoniale lib. 1. c. 7. *Super eo Pluviale tempori congruum, sine tamen formalio.* Formalium ergo est illa lamina aurea, sive argentea, deaurata, gemmisque ornata, & distincta, quam Episcopi ante pectus ferunt ad Pluviale connectendum.

Formatæ, id est Litteræ, quas Græci *Canonicas* vocant. Formatarum porro multiplices erant species; aliæ enim vocabantur *Com-*

L *munio-*

municatoriæ & erant illæ, quæ ab Episcopis concedebantur suis subditis peregrè profecturis, ut quocumque irent in communionem admitterentur, & ad hospitium, quare & *hospitales* dictæ fuerunt. Hæ autem non vulgaris notæ, seu protelariis Laicis, sed solis honorificis personis concedebantur. Aliæ vocabantur *Pacificæ*, & inter has, & communicatorias vix ullum erat discrimen, nisi quod hujusmodi litteræ pauperibus, & indigentibus clericis, seu aliis concederentur. *Omnes pauperes, & indigentes ecclesiasticis auxiliis, cum proficiscuntur, sub probatione epistolii, sive Pacificis, quæ dicuntur Ecclesiasticæ, tantummodò commendari statuimus, & non commendatitiis epistolis, quia commendatitias epistolas, quas dicimus, eos tantum accipere convenit, qui in opere sunt clariores.* Concil. Chalced. an. 451.

Aliæ erant *Dimissoriæ*, seu *Dimissoriales*, queis dabatur facultas exercendi Ordines, vel alios suscipiendi in aliis Ecclesiis, seu Diœcesibus illis clericis, qui eas secumferrent. *Si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in sua Ecclesia, quum non habeat consensum sui Episcopi, a quo recessit Clericus, irrita sit hujusmodi ordinatio.* Concil. Nicæn. cap. 17. & Concil. Milevitanum an. 416. *Placuit, ut quicumque deinceps ab Episcopis ordinantur,*

tur, litteras accipiant ab Ordinatoribus ſuis, manu eorum ſubſcriptas, continentes Conſulem, diem &c.

Aliæ erant *Litteræ Paſchales*, indicentes, qua anni ejus Dominica proximnm Paſcha celebrandum foret. *Placuit, ut dies venerabilis Paſchæ Formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Sic S. Ambroſius ad omnes Æmiliæ Epiſcopos, quibus ut Metropolita præerat ſcripſit Epiſtolam pro ſtatuenda Paſchalis ſolemnitatis die anni 387.

Aliæ erant *Encyclicæ*, ſeu circulares, quæ vel a ſummo Pontifice, vel a Primate, Metropolitano, Epiſcopo, vel etiam a Synodo ad alias Eccleſias, vel perſonas diſtribuendæ mittuntur, ſive in cauſis fidei, ſeu in rebus ad diſciplinam ſpectantibus.

Formatis quoque recenſeri poſſunt *Memoriales*, quæ Legatis, Nuntiis, ſeu Apocriſariis, & Reſponſalibus eccleſiaſticis expediuntur; His etiam addi poſſunt *Tractoriæ*, quibus providetur, ut Prælatis ad Synodum profecturis neceſſaria providerentur.

Foſſa, *Fovea*, Sepulcrum, Sepultura &c. *His finitis, & corpore usque ad foſſam allato, continuo ſpargit aquam benedictam in foſſam, atque incenſat eam. Quo facto ponitur corpus in terram, itaut pedes verſus orientem, & caput verſus occidentem. Sacerdos autem primum cum pala ter mittens aliquantulum ſuper illud de terra, ſubjun-*

 git

git &c. Martene l. 5. cap. 10. Et Rituale Corbejense : *Tunc ad Missam debet fieri commendatio corporis... & debemus omnes ire ad foveam , sive sepulturam defuncti .*

Fossarii, sic dicti Clerici illi, quorum munus erat corpora sepelire : *Primus igitur in clericis Fossariorum ordo , qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur .* Hjeron.c.7. & de Muliere septies icta: *Clerici , quibus id offitii erat , cruentum linteo cadaver obvolvunt , & fossam humum lapidibus construentes ex more tumulum parant .* Hos *Pollinctores* vocabat antiquitas : erat autem offitii nomen , non ordinis . Horum meminit antiquus auctor lit.de septem gradibus Ecclesiæ inter opera D. Hieronymi .

Fractio Panis , *Frangere panem &c.* Missam celebrare , Synaxim agere &c.

Fragmen, *frustulum &c*, Breviarium Casalis Benedicti , agens de extrema Unctione : *In primis pulsantur Campanæ capituli , & dum in sacrarium congregantur Monachi , Sacrista infrascripta præparare studeat : aquam benedictam , fragmen panis , vas aquæ cum linteo .* Fragmen panis porro parabatur , ut in eo Sacerdos posset digitos mundare unctione expleta .

Frontalia , idest Pallia , seu amicula anteriora altarium ab antiquis *Vestes* nuncupata : *Ob-*

servan-

ſervandum eſt ut menſa Chriſti ... mundiſſimis linteis, & Palliis diligentiſſimè cooperiatur. Ivo Carnoten. 2. parte Decreti c. 132. ex quodam Concilio Rhemenſi.

Fumo perfundere, Incenſare. *Ipſe etiam Cereus per manum Diaconi ejuſdem incenſi fumo perfunditur*. Martene l. 3. c. 15.

G

GAbatha, vas planum, rotundum, in pelvis modum, quod pro Lampade inſerviebat. *Obtulit in Baſilica S. Petri Buttonem de argento puriſſimo cum Gabathis argenteis pendentibus in catenulis ſeptem*. Anaſtaſ. in Leone IV.

Galilæa inferior pars Eccleſiæ, quam *Navem* dicimus. *Fiat Proceſſio extra clauſtrum, & per Galilæam*. Martene l. 4. cap. 8. & l. 3. cap. 9. *Ad exitum Galileæ Monaſterii ſint præparati duo famuli elæmoſinarii &c.*

Galilæam, Græci vocabant totum illud tempus quod mediat inter Paſcha, & Aſcenſionem.

Gallicantus nomine apud veteres Monachos, inteligebatur hora ſurgendi ad Vigilias, circa enim mediam noctem Galli cantare ſolent.

Gambuca: *Gambuta*, Baculus Paſtoralis, *Faciat Crucem cum gambuca in Limine ſuperiori*,

riori, & *inferiori*. Curam, Consecrat. Ecclesiæ.

Gastræ ex Martene in Onomastico, Vasa Rotunda fictilia. *Catinus*.

Gazophylacium. Locus in quo deferebantur omnia dona ante Missam oblata, in quo & oblationum, & offerentium diligens fiebat per Diaconum inquisitio. Alias *Secretarium*.

Gemelliones, Ordo Romanus inter vasa Missæ Sacrificio inservientia *Gemelliones argenteos numerat*. Sunt autem Urceoli, Gemelliones dicti, sunt enim ejusdem generis & formæ, & omnino similes, & fere semper esse solent gemini fratres. *Ampullæ*, *Amulæ*.

Geniculatio genuflexio, inclinatio &c., *cum reverenti geniculatione osculetur*. Consuetud. S. Geminiani &c.

Gladiolus Lanceæ figuram habens, est illud instrumentum, quo Græci panem consecrandum ab integra ejusdem panis massa secernunt.

Glasium, omnium campanarum pulsatio, quam etiam classicum dici vidimus Martene &c.

Glocca, seu Cloca, Campana. *Ad primum sonitum vespertini signi glomerantur in Chorum*, *post solito ordine incipiunt Vesperas*, *singulæque Gloccæ pulsantur*. Consuet. Germaniæ.

Gradale. *Graduale*, *Cantores*, *qui Gradale*, *vel*

vel Alleluja sunt cantaturi &c. Martene lib. 4. cap. 1. n. 9. Graduale autem sic dicitur, non a gradibus altaris, sed a gradibus Ambonis, seu pulpiti. Legitur autem, seu cantatur, dum lecta Epistola, Diaconus se præparat ad legendum Evangelium. *Finita lectione, illis, qui graduale & Alleluja cantaturi sunt, juxa pulpitum in inferiori gradu standum est.* Ordo Romanus, cujus vetus expositio apud Cassandrum in Liturgi. c. 21. ait, *Responsorium quod ad Missam dicitur, pro distinctione aliorum Graduale vocatur, quia hoc psallitur ingradibus*, Ambrosiani *Psalmellum* vocant, & sequitur veteris Testamenti lectionem, *Alleluja* enim cantant post Epistolam.

Gremiale pannus est, saltem sericus, qui ingremio Episcopi celebrantis ponitur cum sedet, & cum ordines confert. Cæremon. Episcop. lib. 1. c. 11.

Gremium Ecclesiæ, idest medium, vel mysticæ sinus S. Matris Ecclesiæ.

Gyro, seu *Giro*: Lacinia, seu pars extrema vestimentorum, seu togæ, quæ laxior fit, & in parte suprema contracta largius in ima se explicat, sic dicta, quod hac parte giret vestis, & circuli figuram efficiat. *Inde abstrahens sparsorium* [aspersorium) *mox cum sinistra manu gyrones Albæ accipiens, & ante se tenens, spargit primum de aqua Benedicta super pavimentum*

quas pro nobis Christus sustinuit, *Authentica* ritu Ambrosiano.

Heptalichnum Candelabrum septem luminum, quod ardebat in Templo Hyerosolimitano.

Hercia, *Herga*, Vide *Erga*.

Hyerotheca Vas sacrum, in quo conservatur Eucharistia, seu Pixis, Tabernaculum.

Hyerurgia, actio sacra ad publicum bonum, quo nomine apud Græcos nuncupatur Sacrificium Missæ, quo nulla actio sacratior.

Historia, Lectiones Sacræ Scripturæ, seu initium alicujus libri ejusdem Sacræ Scripturæ, in choro legendum inter horas Canonicas. *Tres versus primi Responsorij primæ historiæ adventus dicuntur ab hebdomadario, & a duobus senioribus, qui priores sunt in ordine*: Consuetud. Lyrenses, & Rituale Corbejense loquens de Processione, quæ fit in festo Corporis Christi. *Ad prædictam Processionem cantor incipiet primum & secundum responsorium de Historia, cum versu*. Ordinar. quoque Corbejense. *Notandum, quod in omnis Historiæ inceptione ab Octavis Paschæ usque ad Adventum, hoc considerandum est, ut si mensis citra feriam quintam intraverit, in Dominica antecedenti historia incipiatur*. Et ex Statutis Lanfranci §. De festivitatibus tertiæ classis. *Responsorium, si propria historia est, duo fratres canant in frocis suis: si*

non

non est propria historia.... Aut si jam cantata sit, duo pueri canant.

Apud nonnullos Auctores historia quoque accipitur pro ipso Responsorio, quod canitur post Lectiones. *Responsoria ad unum diem pertinentia vocantur Historia.* Rodulphus lib. de Canon. observant. c. 13.

Hyerophylax, Sacrista, Vasorum sacrorum custos. Cymiliarcha &c.

Horæ ab orando Deum sic dictæ, vel quia statis horis & temporibus ex Ecclesiæ statuto recitantur. Dicuntur autem Canonicæ, sive Regulares, quia juxta regulas ab Ecclesia præscriptas recitandæ sunt. Nomine autem Horarum veniunt omnes partes offitij, acipiendo a Matutino usque ad Completorium. *Septem horas canonicas in die, quasi ex debito canimus pro septem gradibus, quos a septiformi Spiritu suscepimus. Formam autem habemus ab Apostolis, & aliis Sanctis, ut septies in die Salvatorem nostrum Laudemus.* Gemma lib. 2. c. 53.

Hora Incensi a S. Ambrosio lib. 3. de Virgin. vocantur Vespere, certum est enim, quod in lege veteri aromata, & thura eo tempore in altari adolebantur, ut Exodi c.29.

Hostia: Hæc vox in ampla significatione accepta sumi potest pro quacumque re Deo oblata: sic nos admonet Apostolus exhibere corpora nostra hostiam viventem &c. Apud Ecclesiasticos tamen, & communi lo-

loquendi modo apud fideles significat panem illum azimum in quo Christi Corpus conficitur in incruento Sacrificio.

Hostias non consecratas ministratas fuisse Monachis in Refectorio certis quibusdam diebus patet ex statutis Udalrici l. 2. c. 30. *In privatis diebus hostiæ non consecratæ portantur in refectorio, ut his, qui eo die non communicaverunt, per manus Sacerdotis distribuantur*. Et in Consuetud. S. Benigni: *In privatis diebus, exceptis his, in quibus una tantum hostia offertur, hostiæ non consecratæ in refectorium portantur ab Hebdomadario Sacrista, & dividuntur ab eo æqualiter in duobus vasculis, ut illis qui non communicaverunt, per manus duorum Sacerdotum distribuantur*. Legend. Martene pluribus in locis.

Hostiaria, capsula, in qua conservantur hostiæ consecrandæ. *Diaconus latinus accipiens tres hostias ex Hostiaria, ponit eas ordinatim super Patenam*. Cæremon. Pontific. l.2. c.24.

Hostiæ pro Missa destinatæ quo ritu, qua diligentia, & munditiæ conficerentur a Monachis, viden. Martene lib. 2. cap. 8. a n. 1. usque ad 8. Non erit tamen injucundum hic exscribere, quæ laudatus Author subdit: *Perseveravit hic mos* [scilicet quod Monachi hostias conficerent] *usque ad*

ad seculum xv. *ut patet ex Bernardo Tergensensi Priore in libello Ms. de materia Eucharistiæ Sacramenti adversus quorundam circa hoc dubia & errores, cujus sub finem* ita scribit: *Agite igitur cautè & securam, imò certam viam tenete. Dubia, imo reprobata parte prætermissa, sectamini hac in re morem, & ritum Patrum præcedentium Monachorum, qui pro statu & lege habuerunt, suisque posteris in scriptis reliquerunt, ut sibimet, suis manibus de granis tritici exquisitis & electis pro Sacramenti debita materia, mundas conficerent Oblatas: quod & hodie summa cum diligentia multi Claustralium sollicite observant. Et revera merito, ac juste, quia res ipsa tam gravis & ardua idipsum rationabiliter exposcit: suntque non modicum culpandi, quin & arctius arguendi, qui oblatas manibus Laicorum confectas pro Sacrificio acceptant, de quibus tamen dubitatur, an de debita materia existant. Gravissime autem reprehendendi & arguendi veniunt, qui tales oblationes in Sacrificio scienter assumunt, quia justa magnorum, & potiorum sententiam Doctorum, in ejusmodi conficere non possunt. Vellem ego numquam potius missare, quam sic damnabiliter idololatrare, & populo, quantum in me est, occasionem idololatriæ præstare.* Subdit Martene: *Ita homo*

mo

mo seculi xv. *cujus verba licet austeriora, hic tamen referenda duximus.*

Humerale : Superhumerale : Amictus . *Post sandalias in Ecclesiæ vestimentis sequitur superhumerale*. Antiquus Scriptor de ritib. veter. Ecclesiæ sub nomine Caroli Magni.

Hydromysta , ille erat, cui incumbebat cura Aquæ benedictæ præ foribus Ecclesiæ.

Hyerophilax sacrarii custos, Sacrista.

Hyemantes. Inter pœnitentium gradus, sive species numerabantur Hyemantes : Synodus enim Ancyran. can. 17. Leprosos, & eos, qui cum brutis rem habuerunt, inter hyemantes orare præcepit . Quidam putant fuisse arreptitios, quod veluti tempestatibus agitati, in continua quasi hyemæ versarentur sub die, extra omne Ecclesiæ tectum. Hos describit Tertullian. de Pudicit. c.31. *Conciliciatos, concineratos, prostratos in medium ante viduas, ante Presbyteros, omnium lacrymas suadentes, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes &c.*

Hymnyo : cantare, laudare Deum. *Et qui pro indulgentiæ desiderio iniquitates suas annuntiant, in tabernaculis justorum hymnyant.* S. Gregorius in prol. ad Psal. Pœnitent.

Hymnologia : Hymnorum cantus : *Signo dato cum fratribus conveniens, horarum laudes persolvebat hymnologiarum* . Hist. Rhemen.

men. de S. Remigio loquens c.25. Hymnologia etiam ſumitur pro Tractatu de Hymnis.

Hymnus: Cantus Eccleſiaſticus, metrice compoſitus. Tres autem conditiones habere debet hymnus, ideſt cantum, laudem, & hanc ad Dei honorem. In lege veteri Moyſes primus fuit, qui hymnos cecinit: qui mos ex Apoſtolica traditione in Evangelicam pertranſiit: Habemus enim ex Evang. quod Chriſtus Dominus, & Apoſtoli, hymno dicto exierunt in Montem Oliveti. A S. P. Benedicto hymnus vocatur *Ambroſianus*. D. enim Ambroſius plures ex illis compoſuit. Circa annum Domini 387. Ambroſius in ſua Mediolanenſi Eccleſia primus introduxit, ne populus pro illius incolumitate ſedulò invigilans tempore perſecutionis ab impia Juſtina contra Catholicos motæ, tædio afficeretur, quem morem poſtea Eccleſiæ Occidentales receperunt. S. Iſidorus de Offit. Eccl. lib. 1. *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, vir magnæ gloriæ in Chriſto, & Eccleſiæ clariſſimus Doctor, copioſius in hujuſmodi carmine claruiſſe cognoſcitur: atque inde Hymni ex ejus nomine Ambroſiani vocantur.*

Hymnus Angelicus, ideſt *Gloria in excelſis Deo*: ideo Angelicus dictus, quia in Nativitate Domini fuit ab Angelis cantatus. A Græcis

cis *Doxologia magna vocatur*. Prima hujus hymni verba sunt *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis:* aliqui legunt: *In hominibus bona voluntas.* Quis autem cetera addiderit, variant Scriptores. Concil. 4. Tolet. can. 121. habet. *Reliqua quæ sequuntur post verba Angelorum, Ecclesiasticos Doctores composuisse.*

Hymnus triumphalis: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabbaoth: Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto: *Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant, & dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabbaoth: Non semel dicunt, ne singularitatem credas non bis dicunt, ne Spiritum Sanctum excludas: Non Sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes: sed ter repetunt, & idem dicunt, ut etiam in hymno distinctionem Trinitatis, & Divinitatis intelligas unitatem.*

Hymnus Cherubicus, quem Græci Cherubim voces imitantes, ante magnum Introitum cantant dicentes: *Qui Cherubim mistice representamus, & vivificanti Trinitati ter sanctum hymnum canimus, omnem secularem deponamus sollicitudinem tamquam Regem omnium suscepturi Angelicis invisibiliter stipatum agminibus Alleluja.*

Hymnus a Græcis *Trisagion* dicitur, quem quotidie recitant, Latini autem semel in anno, ideſt in Parasceve canunt Græce, &

Lati-

Latine. *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus & immortalis miserere nobis*.

Hymnus glorificationis a Patribus dicitur ille versus *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*. Relati Hymni Liturgici dicuntur, ad eorum differentiam qui in Offitio, non in Missa cantantur.

Hymnus Acathistus. Solemne pervigilium erat, quod Græci celebrabant in Sabbato hebdomadæ quintæ Quadragesimæ in honorem B. M. V. pro liberatione ejus interventu obtenta Civitatis a barbaris irrumpentibus. *Civitas vero illæsa permanens intercessione Deiparæ, quotannis ex illo tempore hymnum gratiarum agendarum causa concinit, diem illum Acathiston, quasi sessionis expertem nominans*. Gretserus.

Hyppante, seu *Hypapante*, Festum Purificationis B. M. V.; significat *Occursum*, Simeon enim senex obviavit Christo Domino. *In principio mensis Februarii Proserpina rapta fuit a Plutone, quam facibus accensis in Aetna tota nocte per Siciliam quæsisse credebatur. Ipsi ad commemorationem ipsius, facibus accensis, in principio mensis urbem de nocte lustrant, unde festum istud Amburbiale, idest lustratio vel processio ab urbis ambitu Amburbiale dictum. Cum autem Sancti PP. consuetudinem istam non possent exstirpare, constituerunt, ut in honorem B.M.V.*

B.M.V. cereos portarent accensos : & sic quod fiebat in honorem Proserpinæ, modo fit ad laudem Mariæ. Innocent. III. in sermon. hujus Festi.

Hypodiaconus, Subdiaconus.

Hypoptosin Græce, Latine *substratio*, tertius Pœnitentium gradus, seu statio.

I

ICona, Imago, Pictura.

Iconostasion, locus in quo imagines reponuntur.

Iconomachus, Iconoclastæ, sacrarum Imaginum oppugnatores, impugnatores, fractores &c.

Idæa, Hæc erat Beatissimæ Virginis Mariæ imago, quam gestatoriæ arcæ super impositam, Ministri suppositis humeris deferebant ab Ecclesia hyemali ad æstivam. *Arcæ* & *Idææ* nunc quoque effigies lapidi insculpta visitur præ foribus S. Mariæ Beltradis, seu Bertradis. *Decumani omnes, aut pars major, qui sunt de numero centum, veniunt ad Ecclesiam majorem antequam Missa major ibi incipiatur in Dominicis diebus, & præcipuis festivitatibus, & ad portandam Arcam & Ideam*. Puricell. Mem. Basil. Ambr. pag. 1037.

Janitores, idest Ostiarii, quibus Ecclesiæ januas custodire incumbit. Quidam distinctionem

faciunt inter Janitores & Oſtiarios, quod illi fores Eccleſiæ cuſtodiunt, Janitores vero ſint illi, qui olim cancellos, ſeu portas cuſtodiebant, per quas ad Sanctuarium, adytus patebat, ne quis indignus ingrederetur, ne Laici cum Clericis, ne Maſculi cum Fœminis; erant enim deſtinata loca pro utroque ſexu. Hos autem alii *Cuſtodes* appellant, & Diaconiſſarum munus erat reſpectu mulierum, ut ex epiſt. 12. Ignatii ad Antiochenos, *Saluto in Chriſto Diaconiſſas, ſacrorum veſtibulorum Cuſtodes.*

Idiota Idiotes apud Latinos *Converſum* ſignificat.

Liber uſuum Beccenſium. *In omni proceſſione, quæ agitur per clauſtrum poſt Crucem ſemper incedunt. In Ramis Palmarum, & Rogationibus inter Idiotas & Cantores.*

Jejunium: Non omnes Chriſti actiones a nobi eſſe imitandas docet Nazianzenus Orat. 40. ait enim: *Ille Paſchatis Myſterium Diſcipulis in Cœnaculo tradidit, & poſt cœnam: nos in Templo & ante cœnam*, ideſt jejuni, ut explicat Nicetas in Commentario. Auguſtinus epiſt. 118. ſcribit: *Liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sa-*

Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Et hæc quidem vetus erat institutio; quæ tamen semper non ubique viguit: in Africa enim adhuc vivente Augustino in die anniversario Cœnæ Dominicæ, Sacramenta altaris vespere, sumpto cibo celebrabantur. Quare in Concil. Carthagin. 4. an. 397. can. 41. legitur: *Sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno anniversario die, quo Cœna Domini celebratur.* Hunc autem morem Synodus Trullana abrogavit can. 29., Conciliaque alia, & Patres abusum hunc, ut crimen gravissimum sustulerunt, gravissima anathematis & depositionis pœna interposita, quibusdam tamen exceptis casibus.

Jejunium magnum, idest jejunium Quadragesimale. *Ab initio veris ejus anni, qui fuit* 1071. *ad extremos magni jejunii dies &c.* Puricell. loc. cit. pag. 461. Vocabatur autem magnum jejunium ad differentiam alterius jejunii, quod observabatur ante Nativitatem Domini.

Iliton apud Græcos, Latine *corporale*, palla illa linea super quam conficiuntur altaris Sacramenta: significat autem *Sindonem*, in qua fuit involutum Corpus Christi.

Illatio: *Inlatio*: Præfatium, seu Præfatio. In Missali Mozarabico dicitur *Inlatio*, quia ex Fidelium verbis infert Sacerdos: Vere

 dignum

dignum & justum esse Deo omnipotenti gratias agere, eumque laudare. In Missali quoque Gallicano dicitur *Inlatio*, & in aliquibus Missalibus *Contestatio Missæ*.

Illuminatorius, sumitur aliquando pro Baptisterio. *Sed quomodo pulcherrimi ab eo constructi Illuminatoris, quod quidem solemus vocare Baptisterium*. In Vita S. Marci Presbyteri: unde.

Illuminati, recens baptizati, baptismusque, Illuminatio.

Illustro: Illumino: Consuetud. S. Benigni c.5. *Ad Vigilias omnibus cereis, qui sunt in circuitu Ciborii videlicet viginti quatuor, ad Cantica incœpta accensis, Ecclesia illustratur*.

Impositio. Magister in Regul. c. 33. & 44. ita offitii ordinem disponit. *Oportet in Nocturnis ab Abbate dici versum ..... deinde aliud responsorium cum Alleluja, ut fiant duodecim impositiones*. Impositionum autem nomine intelligi debent Intonationes.

Immersor, qui puerum baptizandum in aqua immergebat.

Immolatio ex Card. Bona *Præfatio*.

Impositio manuum multiplex est: alia enim est Consecrativa, ut illa quæ fit in Collatione ordinum: alia pure deprecativa, quæ fit super infirmos: alia pure cœremonialis, alia reconciliativa &c. de quibus consulendi Theologi.

Im-

Imprimo: Imprimere Crucem &c. *Sacerdos ad altare impresso signo Crucis*. Consuetudin. S. Germani: *Crucem pollice imprimit altari, ipsum osculando*. Ordinar. Bursfeldense &c.

Incensum: Ex Mosaicæ Legis præcepto, & Apostolica traditione incensi usus in Sacrificiis derivavit.

S. Ambrosius ad cap. 1. Lucæ: *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, Sacrificium deferentibus, assistat Angelus*: Ordo Rom. apud Cassandrum in Liturg. *Post Credo thuribula portantur per Altaria, & postea ad nares hominum feruntur, & per manus fumus ad os trahitur*.

Incentium facere, vide Facere incensum.

Incensare in Cruce, Facere Crucis signum cum thuribulo. *Sacerdos finitis collectis incensat altare majus in Cruce, & corpus defuncti in Cruce, assidue cereum in manu portans*. Martene lib. 5. c. 10. Cit. Martene *Aromatizare* pro incensare sumit ex Ritual. Monast. *Signis sonantibus ad Ecclesiam primo S. Mariæ posito feretro altare aromatizet ... Denuo altare aromatizet, & corpus*.

Iecensorium, Thuribulum, *Incensorium de argento unum*. Chron. Cassin. l. 2. c. 98.

Incisio, *Incisiones*. Divisiones, seu Pausæ. Apud Martene l. 1. c. 2. *A Calendis Novemaris ad Cœnam Domini ante Nocturnos psal-*

mos triginta decantabant ex Vdalrico l. 4. c. 41. Ab octava autem Paschæ ad prædictas calendas, quindecim dumtaxat psalmos graduales, idque cum triplici incisione, & precibus ad singulas incisiones, hoc est ad singulos denos psalmos, cum triginta dicebantur, vel ad quinos cum quindecim tantum.

Infans, *Infantes*. Pueri, qui in choro divinas Laudes canebant, & psalebant. Hic mos diu viguitin Ecclesia tum orientali tum occidentali ut omnes in Ecclesia canerent, ut ex Niceti lib. de bono Psalmodiæ, ex Ambrosio epist. ad sororum, ex Fortunato lib. 10.

Pontificis monitis clerus, plebs psallit & Infans.

In antiquis ritualibus Monasticis frequentissima fit mentio puerorum in Choro cantantium, vel alia munia exercentium. Horum quoque Infantium, seu Puerorum sæpe meminit Liturgia Ambrosiana tum in offitio, tum in Missa. In Sabbato sancto, post lectionem tertiam de libro Exodi. *Canticum puerorum, cujus priorum versum unus puerorum solus cantat, reliquos cum alijs.* Et apud Puricell.Monum. Basilicæ Ambrosianæ pag. 428. *Alijs parvulis clericis cantantibus in choro, panem & vinum, secundum consuetudinem aliarum festivitatum,* & pag. 482. *duos denarios accipiant Pueri, qui Missæ offitium fecerint.*

Infortunium, negligentia, Casus, Eventus &c.

Si

Si fratri in cella commoranti, vel alicubi extra Monasterium suum infortunia de Corpore & Sanguine Domini evenerint, hic cum Monasterium suum redierit, solus sine conventu judicium accipiet. Consuetud. de Lyra, ubi superius legitur. *Incipit de emendatione Sacramenti. Si forte alicui fratri acciderit negligentia de Corpore & Sanguine Domini &c.*

Infula comuniter accipitur pro Mitra. Eam sic describit Martene in Indice onomastico vocum exoticarum. *Infula est fascia in modum diadematis, a qua dependent vittæ ab utraque parte. Est etiam, casula, planeta, Vestis Sacerdotalis, ut videre est apud Hugonem de S. Victore in specul. Eccl. l. 1. c.* 26. *Casula, quæ alio nomine planeta, vel infula dicitur*, & lib. 3. c. 8. *sciendum, quod ab hac die* (Septuagesimæ) *usque in Pascha, non induitur Diaconus Dalmatica, nec Subdiaconus Tunica, sed induuntur Infulis*.

Infra Actionem. Hæc vox in liturgia Ambrosiana legitur post illa Canonis verba, *Tibique reddunt vota sua &c.* sequitur autem immediate. *Propria infra Canonem vel etiam actionem*. Infra actionem *ejusdem Paschæ & octavæ: Infra actionem ejusdem Pentecostes, & octavæ: Commune infra Canonem: Commune infra actionem*.

Infusorium Ecclesiæ Communi loquendi modo

Sacrarium, alias Piſcina. *Tollat, & lavet os infirmi, & mittat in infuſorio Eccleſiæ, aut in foco* apud Martene l. 5. c. 8.

Ingreſſa in liturgia Ambroſiana idem ſignificat ac apud Romanos *Introitus*.

Ingreſſus major eſt ſolemnis illa pompa, & ingens apparatus, quo Græci e Protheſi ad majus altare, ſeu Bema ſacra Dona conſecranda deferunt. Ritus hujus Ingreſſus Vid. apud Bona lib. 2. c. 29. Rer. Liturgic.

Ingreſſus, ſeu Introitus minor apud eoſdem eſt, cum Diaconus traditum ſibi a Sacerdote librum Evangeliorum ad altare defert.

Initio, Incipio, *Sacerdos initiat Matutinas*. Dunſtanus in Concordia.

Initio, ſacris imbuere, litare, Sacrificare, juxta illud *Initiati ſunt Beelphegor*.

Initiatus, in ſacris conſtitutus, ſeu recens baptizatus. S. Ambroſius lib. de Initiandis. *Nunc de Myſterijs dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem ederæ, quam ante Baptiſmum, ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſæ æſtimaremur*. Et Chryſoſt. hom. 72. in Evang. *Euchariſtiæ Myſterium quanta miſericordia plenum ſit, initiati ſolummodo noverunt*.

Intinctio, Baptiſmus, *Itaque Audientes optare Intinctionem non præſumere oportet*. Tertull. Pœnit.

Introitus eſt illa antiphona, quæ canitur, cum Sa-

Sacerdos intrat ad altare, & ab ipso recitatur cum ad illud pervenerit.

Introitus Regularis. Omnes Introitus in S.Gregorij antiphonario, ex Psalmis accepti sunt, paucis exceptis, qui propterea a Durando l. 4. c. 5. dicuntur

Introitus irregularis, ut *Puer natus est nobis. Viri Galilæi: Spiritus Domini &c.* Romano ritu. Sunt & alij, qui neque ex Sac.Scriptura sumuntur, ur *Salve sancta Parens, Gaudeamus omnes &c.*

Iocale, Monile, Gemma, nonnulli *Rationale* esse volunt. *Post ordinabitur processio. Diaconus portabit Iocale*. Consuetedines S. Germani.

Irrigo, Aspergo, *Sacerdos irrigabit magnum altare, & post altare B.Germani, & Sancta Sanctorum.* Cæremon. Casalis Benedicti.

Jubilo, Cano, Canto. *Quo dicto ascendunt fratres, quos jusserit Cantor ante Martyres, & ibi jubilant : Emitte Domine benignitatis Angelum* Ordin. Corbæn.

Jubilus, *Jubilatio*. Hæc nomina veteres tribuerunt illis notis, quæ sine verbis post Alleluja cantantur, & ab aliis Sequentiæ dicta sunt. Amalarius lib.3. c.16. *Hæc Jubilatio, quam Cantores sequentiam vocant, statum illum ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria locutio verborum*. Ordo Romanus, *sequatur Jubilatio, quam Sequentiam vocant*. Radulphus Tungrensis proposit. 23.

Ju-

Jubili autem sunt neumata gradualium, & de Alleluja resecandi non sunt, nisi cum illorum loco Sequentiæ decantarentur.

K

K*alendarium*, Calendarium, Calendarius, a Calendis sic dictus: primo enim mensis die Pontifex, vocato populo totius mensis ferias, & quo ritu celebrandas annuntiabat, juxta profanos illorum temporum ritus. More autem ecclesiastico significat librum illum, in quo Sancti cujusque mensis notantur, & illi præcipuè, de quibus Missa celebrari & officium recitari debet.

Kyriaca, seu *Cyriaca* dicitur Ecclesia ab aliquibus scriptoribus. Valefridus de exord. & Incremen. Eccl. c. 7. *Sic etiam Cyriaca idest Dominica a Domino nuncupatur, quia Domino Dominantium in illa servitur.*

Kyrie eloison. Recitato. Introitu celebrans a Deo misericordiam implorat, psallens alternatim *Kyrie eleison* idest *Domine miserere*. Gentiles quoque solo lumine naturæ ducti, a suprema omnium causa opem implorabant iisdem verbis, ut scribit Amianus lib. 2. Differt. Epicteti, c. 7. dicens, *Deum invocantes, precamur eum Kyrie eleison*. Cur autem vox hæc in liturgiis potius Græce, quam latine a latinis dicatur, hæc esse poterit ratio, quia cum Ecclesia hæc He-

brxis

bræis primum & Græcis, postmodum ex latinis sit coadunata, ideo in liturgia omnes tres istæ linguæ adhibentur: *Amen* enim, *Alleluja*, *Sabbaoth*, *Osanna*, voces sunt hæbraicæ. Quis autem a Græcis ad Latinos hunc orandi modum traduxerit, est incertum. Communis Scriptorum opinio est eum fuisse S. Gregorium M. sed multo tempore ante Gregorium viguisse hunc ritum in Romana Ecclesia patet ex Concilio Vasensi sub Felice IV. c. 3. *Quia tam in Sede Apostolica, quam etiam per totas Orientales, atque Italiæ Provincias dulcis & nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu, & compunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo & ad Matutinos, & ad Missas, & ad Vesperam, Deo propitio intromittatur.*

S. Gregorius lib. 7. epist. 64. ad Joannem Syracusanum ait: *Kyrie eleison nos neque dicimus sicut a Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo respondetur: & totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.*

Hunc ritum non dicendi neque in offitio, neque in Missa *Christe eleison*, adhuc observat Mediolanensis Ecclesia, quæ tamen novem vici-

vicibus in Missa *Kyrie eleison* dicit, ideſt ter a Sacerdote ſtatim poſt Hymnum *Gloria in excelſis*, ter dicto Evangelio, & *Dominus vobiſcum*, a Sacerdote, & ter à miniſtro, dicto pariter dominus nobiſcum poſt ultimam collectam.

In eadem Mediolanenſi Eccleſia pluries repetitur *Kyrie eleiſon*, omneſque Benedictiones, ex rubricis generalibus ſic ſemper concluduntur. *Dominus vobiſcum*, & ter *Kyrie &c.* & ter repetitur quoque in earum principio, poſt *Deus in adjutorium &c.* In Purificatione B. M. V. in candelarum proceſſione, in gremio Eccleſiæ duodecies *Kyrie*, & ſimiliter in proceſſione Palmarum, & ſæpius in offitiis divinis, ut in ejus liturgicis libris.

L

L*abida*, Cochlear, quo utuntur Græci ad Communionem fidelibus miniſtrandam.

Labellum, vas poſitum ad Eccleſiarum ingreſſum in quo aſſervatur aqua benedicta, ut ea fideles ſe aſpergant. *Et vidi Cuſtodes Monachorum portare aquam in Labello, qui eſt in Eccleſia S. Satyri. Puricellus pag.* 1157.

Laborantes erant quidam Clerici, quibus cura incumbebat ſepeliendi mortuos, *ſaluto Hippodiaconos, Lectores, Janitores, Laborantes&c.* S. Ignatius epiſt. 12. ad Antiochenos.

Id

Id autem erat offitii nomen, non ordinis.

Labores officinæ, seu loca destinata Monachis pro labore manuum. *Secunda feria* (Paschæ) *eant cum Cruce, Patrociniis & aqua sancta per singulos labores &c.* Tom. 4. Analect. Mabillonii.

Lucernum, *Lucernus*, *V. Birrus*.

Lamina accipitur pro Mitra: ex Polycrate apud Eusebium l. 5. hist. c. 24. & ex Hieronymo, asserentibus Joannem Apostolum *Laminam auream* in fronte gestasse.

Lampada mediana, quæ in medio chori, vel Ecclesiæ lucet. *In Evangelio tutatur lampada mediana*. Ordin. Cassin.

Lampades, seu alia lumina accensa fuisse in primo Missæ Sacrificio credibile omnino est; illorum enim usus in sacris vigebat apud hebræos, quibus jusserat Deus aureum Candelabrum, & lucernas septem in Templo fieri. Lampades quoque accensas fuisse super defunctorum sepulcra constat ex Puricello pag. 465. ubi legitur offitialis *emat Oleum, & faciat ardere in Quadragesima majore super sepulturam*.

Lampades choreæ: quæ in choro, vel per Ecclesiæ circuitum accendi solebant. *Abbas cantabit vesperas: septem Cerei accendentur ante corpora Sanctorum, & sex ad Angelos: & Candelabrum accendetur: Lampades choreæ debent accendi usque ad crastinum incessanter*. Martene lib. 4. c. 3.

Lam-

Lampadarium : *Lamparium* . Lampas major, quæ in Ecclesia diebus solemnioribus accendi solebat . *Accipiunt cereos ardentes ad gradum sub Lampario*. Martene l. 3. c. 22. Et consuetudines S. Dionysii, *Omnis rota & duodecim Lampades Lampadarii debent accendi*. *In circuitu chori accendentur sexaginta quatuor Cerei* : Et Ord. Tullense: *Ad hanc Nonam* (Ascensionis Domini) *quinque Lampades in Lampario accendantur*.

Lancea sive gladiolus quo Græci Panem consecratum a tota panis massa dividunt.

Lancea, *hasta pertica &c.* Martene l. 3. c. 15. agens de Sabbato Sancto habet: *Diaconus indutus alba, stola, fanulo, & Dalmatica, portet Lanceam cum candela*.

Lanterna: Sic dicta , quod inclusum in ea lumen lateat. *Post hos quidam Monachus ferat Lanternam cum lumine accenso*. Mart. l. 3. c. 19.

Lanx, seu discus , Patenæ profundioris figuram habens, quo utuntur Græci in Missæ Sacrificio, sumpta similitudine ab illis duobus vasculis Lancium escariarum, in quorum altero pondus , in altero res ponderanda imponitur: unde *Bilances* dicuntur. Nonnulli vocant scutellam.

Lapsi : Lapsorum tria fuere genera 1. Sacrificatorum, qui Idolis hostias immolaverant: Secundum Thurificatorum, qui thus Idolis accen-

accenderant; Tertium libellaticorum, qui libellos a Magistratibus exceperunt, eorum lapsus, & cultum Idolis adhibitum attestantes: aut qui apud Acta scripto attestati fuerant se Christum ejurasse. Hos describit Plinius ad Trajanum scribens lib. 10. epist. 97. *Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent esse Christianos, aut fuisse, quum præsente me, deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum auferri, & thure & vino supplicarent, prætereaque maledicerent Christo*. Eos vero, qui pecunia dimissionis libellos emebant, absque mentione ullius in Religionem flagitii, ab omni lapsu immunes asserit S. Petrus Alexandrinus in suis de Pœnitentia Canonibus, cum injusta vexatio pecunia possit redimi.

Lavatio: Aqua, qua Sacerdos lavat manus post quam infirmo Extremam dedit Unctionem. *Quo facto lavat manus in cinerem confricat; & hæc lavatio nonnisi in igne, & in loco mundo, & abdito solet effundi*. Mart. lib. 5. c. 8.

Lavatio apud eumdem lib. 5. c. 10. est lotio Cadaveris. *Post lavationem corporis, allato corpore, Abbas aspergens illud aqua Benedicta*.

Lavatores, illi scilicet, qui Corpora defun-

ćto-

ctorum lavabant: ex cit. Martene. *Inter lavandam lavatores quotquot sciunt psalmos, non cessant a Psalmodia.* Antiquissimnm esse hunc ritum lavandi mortuorum corpora, pluribi ostendit cit. Mart.

Lavellum, sepulcrum, lapis sepulcralis. Navellum, labellum, unum & idem sunt. *Condiderunt illud in marmoreo lavello infra Oratorium B. Dei Genitricis Mariæ. In vita* S. Anselmi abbatis Nonantul. Sec. 4. benedict. p. 1. Et ex Puricello loc. cit. p. 914.

Hoc est scriptum super lavello, sive monumento, ubi legitur, & cantatur Epistola, & Evangelium in Ecclesia S. Ambrosii. Sepultus est in Ecclesia S. Ambrosii in uno Lavello, quod erat dictorum Comitum de Inglexio: & illa corpora dictorum Comitum seu Regum extra dictum Lavellum fuerunt posita: & super dictum Lavellum cantabatur Evangelium & Epistola. Hoc porro Lavellum elegantissime, fuse, & apprime erudite describit P. Joseph Allegranga ex Ord. Predicat. in libro, cui Tit. *Spiegazioni, e Riflessioni del P. Giuseppe Allegranga sopra alcuni sacri Monumenti antichi di Milano*: an. 1757.

Laus: *Laudes*; Earum mentio, quo ad Missam spectat, fit in Decreto Conc. 4. Toletani sub Honorio an. 633. can. 12. Sic. *In quibusdam Hispaniarum Ecclesiis laudes*

post

post Apostolum decantantur, prius quam Evangelium prædicetur: dum Canones præcipiunt post Apostolum non laudes, sed Evangelium annuntiari. Præsumptio est enim, ut antea ponantur ea, quæ sequi debent. Nam laudes ideò Evangelium sequuntur, propter gloriam Christi quæ per idem Evangelium prædicatur.

Canonem hunc, qui multos in errorem traxit, optime explicat Card. Bona l. 2. c. 6. Rer. Liturg. hoc pacto: *Sunt autem Laudes, quæ post Evangelium prisco more Hispaniarum dicuntur, non hymnus trium puerorum, sed versiculus cum Alleluja, ei prorsus similis, qui ritu Romano post Responsorium cantatur. Ipsum vero Responsorium cantabant Hispani post lectionem veteris Testamenti, quæ in eorum Missali Epistolæ præmittitur. Eodem fere ritu Ambrosiani, nam post Lectionem veteris Testamenti sequitur Psalmellus, quem vocant, instar Gradualis Romani: at versum cum Alleluja concinunt post Epistolam.* Hinc elucet ritus Ambrosiani antiquitas.

De *Laudibus* porro, quæ in officio recitantur, hæc habet lib. Fructuosus Braçarensis, Regal. c. 3. *Duodenis iterum cantatis psalmis, adeunt cubilia, paullumque quiescentes, gallicinio jam sonante, recitatis tribus psalmis cum Laude & Benedictione sua Matutinum incipiant Offitium.* Nomi-

ne autem Laudum hic veniunt tres posteriores psalmi : *Laudate Dominum de Cœlis* : *Cantate Domino canticum novum* : *Laudate Dominum in Sanctis ejus* , quos spetiali nomine veteres appellabant *Laudes*, eo quod ad reddendas Domino grates nos frequenter invitant : & nomine Benedictionis venit Canticum : Benedicite omnia opera Domini Domino.

Laxare debita. Vid. Confessio : Confessionem donare.

Latica lignea, sacrophagus, seu capsalignea, Feretrum Arca &c. in qua defunctorum corpora, antequam humi mandarentur, reponebantur. In Chronico Centulensi lib. 4. c. 32. de Nithardo Abbate hæc habentur: *In eodem quo pausaverat sarcophago invenerunt Lecticam ligneam coriatam domni Nithardi filij ejus Abbatis & Comitis corpus continentem, sale perfusum*. Per *Coriatam* debet intelligi Corio coopertam.

Lecticarij : Laborantes : Fossarij ; sic dicti, quia defunctorum corpora in Feretris, seu lecticis ad sepulcra portarent.

Lectio : Ab ipsis Ecclesiæ incunnabilis in Missa recitata fuit Lectio, & antequam legeretur, indicebatur adstantibus silentium. *Quando Lector dicit : Hæc dicit Dominus, & stans Diaconus silentio indicto omnibus os obstruit, non Lectori honorem habens hoc*

hoc facit, sed ei, qui per illum omnibus loquitur. Chrysost. homil. 3. in 2. Thessalon. Ritu Ambrosiano in Missa solemni semper recitatur lectio, & Epistola: Illa ut plurimum de veteri Testamento, cui per Lectorem præmittitur hæc vox: *Lectio*; Epistola vero semper de novo; & ex Apostolo, prævio hoc Tit. *Epistola B. Pauli &c.*

Lectionarium liber continens omnes Epistolas, & Evangelia, quæ singulis diebus per annum in Missa legi debent. Seriem vero ordinemque dispositum fuisse a S. Hieronymo, communis est eruditorum sententia.

In Metropolitana Mediolanensi Lectores sunt quindecim, cum eorum Primicerio. Ex his quinque dicuntur de *Phæudo Majori*, reliqui vero de *Phæudo Minori*: Almutias gerunt, cappamque nigram, serico viridi in interiori parte tectam, seu ornatam: Quoniam autem, ut supra jam vidimus, & ex S. Cypriani Epist. 33. & 34. Lectorum erat Epistolas, & Evangelia in Missa legere, hunc ritum quoque adhuc servari in laudata Metropolitana patet ex seqq.

Lectores Clavicularij: Horum mentio in rubricis Sabb. Sancti Missal. Ambrosiani. *Canticum quatuor lectorum claviculariorum ℣. Tunc cecinit Moyses &c.*

Lectorium: ***Lectoriale***: ***Lectricium***. Analogium, Ambo,

Ambo, Pulpitus, seu quivis alius locus in quo & ex quo in Ecclesia legitur, & in choro.

Leviticus : Levita, Diaconus : *Unus ex Leviticis remaneat, & legat Passionem Domini secundum quatuor Evangelistas dispositam*. *Martene* lib. 5. c. 12.

Legitimum: Canon Missæ.

Libellatici. V. Lapsi.

Libitinarii ; idest Fossarii, Lecticarii, laborantes.

Lignum congregans. Instrumentum ligneum, quo Græci utuntur ad Fideles in Ecclesiam convocandos. Latini hoc utuntur in triduo Passionis Domini. Ambrosiani Crotalum vocant. Nicephorus Blemidas in vita Sancti Pauli Latrensis. *imperat, ut ante tempus lignum congregans Monachos pulsetur, & sacra Mystagogia peragatur*. Auctor vitæ S. Niconis. *Et ligni pulsatione omnes fratres convocat*. In vita Theodosii Archimandritæ. *Monachi lignum pulsabant præter solitam propemodum horam*. Acta secundæ Niçœnæ Synod. act. 4. Cum Reliquiæ S. Anastasii Martyris Cæsareæ appropinquarent. *Cives omnes magna lætitia perfusi, ligna pulsantes obviam facti sunt*. Leo Imperator in Panegyrico de S. Joanne Chrysost. *His adhuc dubitantibus, excubitor ad matutina cantica excitat ligni pulsibus*.

Ligneus locellus: Tumulus ex ligno factus, seu lignea capsa. S. Ethildrita, ex Regina Abbatissa Eliensis Monasterii in ligneo *locello* deposita fuit, quia in ea Insula nulli reperiebantur lapides, ut habet Thomas Eliensis in ejus vita, sec.2. Benedict. Ipsa autem sic jusserat.

Lympha sanctificata. Aqua benedicta: S. Gislenus sumpta *lympha sanctificata thuribolo, cum thismiamate, sancto Evangelio. Dagoberto Francorum Regi ad se venienti obviam processit*. Vita: n. 9.

Linea: Alba, Camisium: Ordo Romanus loquens de Episcopi consecratione: *Induunt eum lineam, cingulum &c.*

Lineum cincticulum: Manipulus.

Linteamen: Velum super humerale Subdiaconi in Missa solemni, vulgo *Continentia Subdiaconus inde secedens, atque reverenter incedens, & linteamen de patena revolvens, manuque linteaminis parte involuta, ipsam tenens, partem ejusdem linteaminis pendere ex industria facit, ut Diaconus quoque cum digitis mediis linteamina involutis &c.* Martene.

Linteamen: Dominicale: Pannum illud lineum, seu sindon linea, quo mulieres communicaturæ excipiebant Corpus Christi Concil. Antissiodoren. an.578. Can.36. *Non liceat mulieri Eucharistiam nuda manu accipere*. Et Can.42. *Unaquæque mulier quando com-*

manicat, Dominicale suum habeat. S. Augustinus serm. 252. de tempore. *Omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi excipiant*, & idem præcipit S. Maximus Martyr.

Linteolus, panniculus lineus pro calice abstergendo, quem olim Monachi appensum in cornu Epistolæ tenebant: *Purificatorium*.

Linteolus mappula linea, sive Tobalea. *Ibi urceus argenteus, cum appenditio suo, ad manuum ablutionem. Ibi linteola plura, sine quibus sacrata vasa, nec levantur, nec quoquam portantur*. Martene.

Linteum: Mappa linea pro extergendis manibus præparata: *Eat ad piscinam abluere, ipsos digitos in aqua, quibus tersis ad medium linteum ad hoc ipsi præparatum redeat... Detersis manibus ad linteum, quo Sacerdos paulo ante digitos suos detersit*. Martene lib. 2. c. 4.

Linostina, *Linostima*. Idest ex lana, & lino contexta, in stamine linum, in trama lanam habens ex Isidoro lib. 19. origin. c. 22. communiter tamen accipitur pro stola Diaconali, quæ in humero sinistro ab ipsis defertur, ad differentiam Sacerdotalis a collo ante pectus descendentis. S. Silvester PP. decrevit, *ut Diaconi Dalmatica uterentur, & Palla linostima eorum læva tegeretur*. In Ecclesia Ambrosiana Diaconi stolam, seu pallam linostimam supra Dalmaticam gerunt. *Li-*

Lipſana : Sanctorum, & præcipue Martyrum Reliquiæ. Theophanes in Juſtiniano Imperatore recondita *lipſana* Andreæ, & Lucæ Apoſtolorum, quæ ſolemni pompa a Menna Epiſcopo in Templum ſunt delata. Et ex Martene lib. 5. c. 16. n.9. *Quoties ſæviſſima tribulatione aliqua prægravabatur Eccleſia, ibidem commorantes circumferebant lipſana Reliquiarum, quatenus ex donariis, & oblationibus Fidelium ſuæ repararent neceſſitatis incommodum.*

Liquamen : Oleum Sanctum Infirmorum. Enneardus junior in vita S. Notheri Balbuli: *Convocatis fratribus, coram eis munitus eſt Viatico ſacroſancti Myſterii Corporis, & Sanguinis Chriſti, atque unctione divini liquaminis illinitus, valedicens omnibus benedixit eis.*

Liquor. Conſuetud. Divionen. c. 61. agentes de fer. ſexta in Paraſceve hæc habent. *Magiſter Sacriſta aliquot in Eccleſia de honeſtioribus retinet Sacerdotibus, qui cuncta altaria aqua & vino diligentius abluant, qui tamen non calceatis, ſed nudis pedibus hoc explent. Quidquid autem liquoris in majori altari fuſum fuerit, ſpongiis colligitur, indeque expreſſum in ſacrariis reconditur.* Liquoris ergo nomine veniunt aqua & vinum, queis altaria lota fuerunt. Hic mos adhuc obſervatur pluribus in locis, ſed ritibus diverſis.

Litania, *Litaniæ*. Multipliciter accipitur hæc vox Litania: illam S. P. Benedictus in sua Regula accipit pro *Kyrie eleison*, quod sæpe in divino Offitio dicitur: *Litaniæ*, *& complctum est*.

Litania rigorose accepta Orationem, supplicationem, Processionem, seu publicas preces significat. Valafridus de rebus Eccl. cap. 28.

Litanias non tantum dici illam recitationem, nominum, qua Sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, seb etiam cunctæ, quæ fiunt supplicationibus orationes appellari:

Litaniæ celebriores duæ snnt, majores scilicet, & minores. Illæ autem sunt, quæ fiunt in festo S. Marci. Litaniam hanc instjtuit S. Gregorius M. tempore quo Roma peste laborabat: dicebatur autem *Septiformis*, quia totius Urbis Populus a B. Gregorio in septem Ecclesiis deprecaturus divisus est, ut ex Paulo Diacono lib.3. de Gestis Longobard. c. 25. ideoque etiam a nonnullis septena appellata. Hæc autem est illa, quæ adhuc in tota Ecclesia fit. Concil. Aquisgranense can. 10. sic statuit, ut *Litania major*, *more Romano ab omnibus septimo Kalendas Maij celebretur*.

Litaniæ minores sunt ille, quæ ritu Romano fiunt in triduo ante Ascensionem Domini. Quis primus illas instituerit, variant Auctores, certum tamen est, quod olim simul cum

cum jejunio celebrabantur, ut ex Concil. Aurelianensi I. c.29.

Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis utantur. S. Leo Tertius ex Anastasio. *Constituit ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ Litaniæ celebrentur*.

Litaniæ porro istæ ritu Ambrosiano celebrantur primis tribus diebus post Dominicam immediate subsequentem Ascensionem Domini, & quidem cum rigoroso jejunio, & abstinentia. Quo autem ritu, longum foret hic exscribere. Ex libro autem Rogationum Ecclesiæ Mediolanensis unusquisque videre poterit. Olim tamen majori cum rigore celebratas fuisse patet ex Puricello in Vita SS. Martyrum Analdi, & Herlembaldi. Quod vero ad Monachos spectat, diffuse agit Martene libro 3. cap. 19.

Litanias in Sabbato Sancto in Monasterio Sancti Germani a Pratis cantatas fuisse Gallice scribit cit. Martene lib. 3. cap.15. his verbis: *Duo Domini cantabant ipsam Litaniam Gallice, ut loquuntur ejusdem Monasterii Consuetudines Mss.*

Litania puerilis in Sabbato ante Pentecostem meminit cit. Martene lib. 3. cap. 22. *Cantetur Litania a puerilis duobus, qui cantaverunt: Sicut Cervus*. Dicitur autem *puerilis*, quia a pueris cantabatur.

Litaniam ab alijs diversam in festo S Marci canta-

ta-

tabant Monachi S. Dionysij ex cit. Martene lib. 4. c. 4. Quam ex integro refert, in multis consimilem Litanijs, quæ Ambrosiano ritu decantantur. *Ibi ante aquilam Cantores dicant : Exaudi Deus : Exaudi Christe &c. & Chorus respondet, Preces nostras, S.Maria intercede pro nobis: S.Michael Intercede pro nobis. Exaudi Deus voces nostras &c.* Litanias etiam Ambrosiano more cantari Genuæ in triduo Rogationum audivi a Viro fide digno, quem super hæc consului.

Litaniæ ternæ, *quinæ*, septenæ, *sive ternariæ quinariæ septenariæ* sæpe fit mentio in antiquis ritualibus, & pluribus in locis apud Martene quod quomodo intelligendum sit hoc pacto explicat Dominicus Magri in Notitia Vocab. Eccl. idest, quod ter vel quinquies, vel septies repetitur *Kyrie eleison*. Oppositam tamen init viam Martene docens per Litaniam triplam, seu trinam, quinam, vel septenam nihil aliud debere intelligi, nisi quod ex omni Sanctorum ordine, tres fierent, vel quinque, vel septem eorum invocationes, afferens ad hoc probandum Lanfranci statutum. *Cantores Kyrie eleison, dexter Chorus similiter respondeat: Ternos Sanctos de unoquoque ordine dicant.* Lib. autem 3. cap. 21. subjungit. *Itaque tripla hæc Litania erat, cujus singulæ Sanctorum invocationes ter pro-*

pronunciabantur. Quod autem *Litania tripla* ſit intelligenda de invocatione trium Sanctorum de omni ordine, confirmari videtur ex ritu Eccleſiæ Romanæ, quæ in Litanijs Sabbati Sancti,tres,aut ad ſummum quatuor Sanctos invocat ex omni ordine.

Lituus Pontificius. Baculus poſtoralis.

Liturgia ſignificat totum ordinem, ſeu ſeriem Sacrificii Miſſæ, ut cum dicitur Liturgia Jacobi, Gallicana, Ambroſiana &c. cum addito tamen *Sacræ*, vel *Myſticæ* Euchariſtiam ipſam ſignificat.

Lobia, Atrium, porticus, *Item peto, ut tectum, ſeu lobiam removeant penitus & auferant, quam fecerunt &c. ſic etiam nobis lobiæ vocabulum hodieque in uſu eſt, idemque ſonat ac italicum illud corridore, corridojo, corritojo, ac latine Pergula, veluti a pergendo &c.* Puricellus cit. p. 1164. 1171.

Lorum communiter accipitur pro Mitra, licet alij pro Pallio. In Conſtantini donatione legitur. *Splendidum lorum Reſurrectionem Dominicam deſignans, ejus ſacro capiti manibus noſtris impoſuimus.* Balſamon loquens de Patriarcha Alexandrino. *Solus Patriarcha Alexandrinus celebrat capite loro tecto.*

Lotio manuum in Miſſa ritu Romano fit poſt oblationem, Ambroſiano vero poſt illa Canonis verba, *Fiat dilectiſſimi Filij tui &c.*

Lucernalis gratiarum actio. Veſperæ, ex S. Grego-

gorio Nisseno in vita S. Macrinæ, & ex S. Basilio in lib. de Spiritu S. c. 29.

Lucernarium. Responsorium, quod ritu Ambrosiano canitur, & præmittitur quotidie Vesperis, pro festivitatum varietate diversum S. Aurelianus in Regula ad Monachos. *Ad Lucernariam omni tempore & festis & quotidianis diebus in primis Directaneus*, Cassianus lib. 3. Instit. c. 3. *Ad extremum undecimæ in qua lucernalis hora signatur*. Et regula incerti auctoris apud Augustin. *Ad Lucernarium autem psalm. unus*.

Luminare, Lumina, Cerei accensi &c. *Luminare erit simile ad Missam, quale fuit ad Placebo, & Dirige &c.* Consuetud. S. Germani a Pratis, agentes de Anniversario Regis Childeberti apud Martene. Et ex Chron. S. Benigni Divionen. Theobaldus quidam fundavit, & instituit luminare in die solemnitatis Corporis Christi, & per octavas. Vid. Martene &c.

Luter. Pelvis, seu vas, in quo vasa sacra pro ministerio lavabantur.

M

M*Agistri puerorum*. De his frequens mentio apud Martene, eorum munera & functiones tam in choro, quam in Ecclesia acurate describens. Pro ritu Ambrosiano, vide supra *Infantes*.

Ma-

Maledictio, ſumi etiam poteſt pro Excommunicatione. *Et ſi ſervitium tulerint, illam maledictionem habeant, quæ in centeſimo octavo pſalmo legitur, & cum Juda traditore in æterna pœna participent*. Puricell. pag. 371. & pag. 700. *Niſi reatum ſuum digna emendatione correxerit, centeſimi octavi pſalmi maledictionibus repleatur, & a Sacratiſſimo Corpore, & Sanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti fiat alienus*.

Malleus excitatorius, Crotalum, Crepitaculum &c. lignum, quod pulſabatur ad convocandos Monachos ad Synaxim, dictus etiam *Malleus ligneus*. Hiſtoria Lauſiaca c. 104. in vita Adolii Abbatis. *Excitatorio malleo pulſabant cellas omnium, eos congregans ad Oratoria*. Et ex Martene lib. 5. c. 10. *Poſt mortem alicujus Religioſi in dicta tabula lignea cum malleo ligneo debet pulſari in clauſtro, in ſignum mæroris & triſtitie*.

Mandatum, Lotio, ſeu ablutio pedum, quæ fit in Cœna Domini pauperibus duodecim. Hæc juxta Eccleſiarum diverſitates diverſos quoque ritus admittebat, etiam circa numerum pauperum, ſeu aliorum, quibus pedes erant lavandi. Antiquiſſimum hunc eſſe in Eccleſia morem colligitur ex Beda in vita S. Cuthberti, c. 18. Secul. Benedict.

Mandyas Græca vox, Mantum, ſeu Cappa qua Epi-

Episcopi Græci utuntur, rigas habens collum versus, & a parte anteriori aperta.

Manica, *Manitia*. Chirothecæ. *Manitias, quæ nos peregrina lingua Vantes vocamus*. In vita B. Philiberti.

Manipulus hodierna die inter vestes sacras numeratus, retroactis temporibus non erat aliud, nisi Sindon, seu mappula brachio sinistro alligata ad sordes & sudorem abstergendum. In Concil. Pictavien., sub Paschali II. can. 5. *Nemo Monachorum manipulo utatur nisi fuerit Subdiaconus*.

Mansionarius Ecclesiæ custos. *Mansionarius dictus est custos, & conservator ædium Ecclesiasticarum*. Panvin. de Interpret. voc. obscur. Eccl.

Mantile, Manipulus. *Quartum Sacerdotis indumentum est Mappula, sive Mantile, quod vulgo Fanonem vocant* Raban. Maurus de Institut. Cler. c. 18.

Manutergium, *Manutergilum*. Sindon seu linteus lineus ad manus abstergendas post earum lotionem. *Diacono aqua cum manutergio apportatur, & a duobus Conversis, qui de manutergio serviunt, brachium utrumque osculatur*. Martene l. 2. cap. 4. *Pendet quoque in promptu Manutergiolum, ad quod Sacerdos, post quam se induerit, lavatus, tergit summitates digitorum, quibus necessario tangit res sacratas*.

Mappa, Tobalea, seu linteum, quod super altare extenditur.

Map-

Mappula, Manipulus. *Mappula, quæ in sinistra parte geritur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus præsentem vitam designat*. Alcuinus, & ordo Romanus. *Subdiaconus Regionarius ponit mappulam in sinistro brachio Pontificis*.

Mappula etiam dicebatur Baldachinum, quod super caput Pontificis olim ferebatur. *Quatuor autem ministri super Pontificem ferunt mappulam quatuor baculis alligatam, propter quod ipsi ministri Mappularii vocantur*. Innocent. III. de mysteriis missæ lib.2.c.7.

Mappulatus, qui manipulum gestat. *Cum ex Planetatorum, Mappulatorumque processionibus magnum Pontificem cognovissent &c.* Jo. Diaconus in vita S. Gregorii M.

Margaritæ vocantur apud Græcos hostiæ, sive Panis consecrati fragmenta, quibus etiam ægrotos communicant, extrahentes illa ex Pixide, vino communi perfusa, medio cochleari infirmis ministrant.

Martyrium. Martyria a Græcis nuncupantur Templa in Martyrum memoriam erecta. In actis Concil. Chalcedon. sæpe memoratur *Martyrium sanctissimæ, & Deo dilectæ victricis Euphemiæ*: idest locus ille, in quo habebatur Concilium. Marcus Diaconus in Vita S. Porphirii: *Cum ei occurrissem in gradibus Martyrii &c. . . . . Ivimus in Martyrium gloriosi Martyris Thimotei &c.*

Mar-

Martyrologium : dictum & Passionale. Liber in quo nomina, & Martyrum Passiones scribebantur. Nunc tamen in eo adnotantur, & alii Sancti, licet non Martyres.

Matricula: Catalogus, sive liber, in quo notabantur pauperes, queis elæemosina dabatur. *Matriculæ S. Mariæ, quæ dicitur Xonodochion ubi duodecim pauperes stipem expectant, solidus dabitur*. Testam: S. Remigii: ideo.

Matricularii dicebantur, qui in eo catalogo erant adscripti: vel etiam Clerici, qui stipendium ab Episcopo accipiebant.

Matronæum. Locus particularis in Ecclesiis pro Matronis. *Fecit Cameram & Matronæum, & super Confessionem Imaginem argenteam*. Anastas. in Symmaco.

Matutinarius Canonicus. Offitium Matutinum, id est ad præscriptum Canonis & Regulæ Ecclesiasticæ. *Dicite antiphonam de psalmis in ordine, postea responsum, deinde antiphonam: iterum legat alius frater, & sic impletis tribus Missis, dicite Matutinarios Canonicos... Deinde in ordine totus Matutinarius in Antiphonas dividetur. Cæsar*. Regula.

Matutinus, Matutinum S. P. Benedictus, aliique veteres Scriptores vocabant illam offitii partem, quæ illucescente aurora recitabatur, & a nobis Laudes nuncupatur, a *Matuta* idest Aurora, quia in Aurora cantabatur.

Melo-

Melodiæ Francigenæ. Post Epistolam ritu Ambrosiano canitur ℣. cui præmittitur, & postponitur Alleluja, cum particularibus cæremoniis, multisque notis musicalibus post ultimas sylabas. Puricellus loc.cit.p.1153. *Ab annis sexdecim infra audivi primo dicere Canonicos Melodias Francigenas ante Evangelium in Natale, & Epiphania, & Pascha Resurrectionis*. Subdit porro laudatus Auctor. *Quarum quidem Melodiarum multas etiam hodie videmus libris intermixtas choralibus*.

Melodima: Melodia, Concentus. *Psalmorum nihilominus concentum dulcissimo ultra omnes distinguens decoravit Melodimate*. In vita S. Gulielmi Abbatis.

Memoria: Ecclesia, Templum, Oratorium &c. *Nos Martyribus nostris, non Templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum spiritus vivunt, fabricamus*. S. Augustinus l. 22. de Civit. Dei, c. 10.

Menæum Græcis est liber continens preces in choro recitandas, in duodecim partes distributus pro ratione mensium.

Menologium apud eosdem, idem ac Calendarium Sanctorum vitas complectens, quæ ad horas matutinas recitantur.

Mensa: Pars Altaris superior, supra quam celebratur Missa: sumitur etiam pro Eucharistia, & pro Missa.

Meridæ. Meridas vocant Græci partes illas Panis consecrari, quas vidimus Margaritas dici.

Metanæa: *Venia Metanæa*: Genuflexio: Inclinatio: *Surrexerunt omnes cum gaudio, & lacrymis, & miserunt Metanæam; & oratio facta est*. Anastas.: sumitur quoque & pro *Pœnitentia*, seu satisfactione. *Cum frater noster obierit, unusquisque pro eo septem disciplinas, septingentas Metanæas facit*. S. Petrus Damiani. Et consuetud. S. Benigni. *Post exuens tunicam facit ante Altare Metanæam*.

Minister: Ministri Altaris aliquando dicuntur Acolythi, qui inferiora Altaris munia exercent. Aliquando qui post Diaconum, & Subdiaconum in Altari ministrant, & lato modo omnes qui Sacerdoti in Missa inserviunt, Ministri vocari possunt.

Ministerium. Actio ipsa ministrandi, seu inserviendi Sacerdoti sacrificanti; seu exercitium Ordinum: sic V. G. Diaconus Altari inserviens, dicitur esse in ministerio, & sic de aliis.

Ministerium quoque apud veteres Scriptores sumebatur pro quolibet vase ad Sacrificia, vel ad Altaria destinato. Anastasius in Xisto. *Constituit ut Ministeria sacrata non tangerentur, nisi a Ministris sacratis*. Et Strabo de Eccl. c. 24. *Urbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea*.

Mini-

Ministerium in libro usuum Cistercien. c. 83. accipitur pro Corporali, in eo enim conficitur, & ex eo ministratur Sacramentum: *Diaconus dicto Benedicamus Domino, vel Ite missa est, inclinet: deinde iens ad Altare transferat inde Calicem, & Patenam super ministerium, sumens ibi lingua sua, si quid de Corpore Domini remanserit super Patenam.*

Ministralis: Ministerialis. Calix, cum quo populo ministrabatur Sanguis Christi, quando sub utraque specie communicabat. Erant & Patenæ ministeriales, ceteris ampliores, quæ distribuendæ Fidelibus Eucharistiæ deserviebant.

Missa prima celebrata fuit ab ipso Christo Domino, qui *Hostia omnium Sacerdotum est, qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, Victima Sacerdotii sui, & Sacerdos suæ Victimæ fuit*, ut habet Paulinus epist. 5. ad Severum.

Ideo S. Laurentius Justinianus Serm. de Euchar. c. 7. *Nulla igitur humanis mentibus inesse debet infidelitatis ambiguitas, quando Deus solus istud perfecit Mysterium*. Quis autem hujus primi Sacrificii apparatus, incertum est: tenendum tamen cuncta decentissime composita, ornataque fuisse, quantum loci, temporis, personarum, conditio, & aliæ circumstantiæ permittebant. Calicem, quo Christus consecravit

in ultima Cœna argenteum fuisse, scribit Baronius an. 34. qui ut refert V. Beda de locis Sanctis: *In platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra est, in qua Calix Domini scrinıolo reconditus est, & per operculi foramen tangi solet, & osculari: qui argenteus Calix hinc inde duas habet ansulas, sextarii mensuram capit, in quo illa est Spongia Domini potus ministra.*

Missa psalmorum. S. Isidorus c. 17. Regulæ: *In quotidianis offitiis vigiliarum primum tres psalmi canonici recitandi sunt, deinde tres Missæ psalmorum, quarta Canticorum, quinta Matutinorum. In Dominicis verò diebus, vel solemnitatibus Martyrum, solemnitatis causa singulæ super addantur Missæ*: Missas psalmorum sic explicat Menardus in Concordia Regularum c. 23. §. 7. asserens esse collectas, seu orationes, quæ olim dicebantur in fine psalmorum. Missam canticorum, orationem, quæ in fine canticorum: Missam matutinorum, orationem, quæ in fine matutinorum. Cæsarius quoque in Regul. Monach. cap. 20. *Duos nocturnos faciant, & tres Missas: ab una Missa legat frater tria folia, & orate; legat alia tria, & orate: legat alia tria, & levet se &c.* Missarum ergo nomine orationes intelligit, ac si diceret: Duos faciant nocturnos, & tres orationes: ab una oratione legat frater tria folia, & fiat oratio. *Missa*

Missa matutinalis : Præter majorem Missam, quæ Conventualis dicitur, aliam solemniter cantabant.... Monachi post Matutinos, seu post Primam, quæ ideo matutinalis dicebatur. Cantabatur autem ad Altare capitaneum, seu Cardinale, hoc est primum in fronte Basilicæ. Refert Beda Ceolfridum Abbatem, qui obiit anno 716. primo mane celebrasse, seu cantasse Missam in Ecclesia B. D. Genitricis Mariæ, S. Dunstanus in Concor. Regul. Monachorum, & Sanctimonialium Angliæ præcipit, ut Missa matutinalis pro Rege, vel quacumque necessitate imminente celebretur. Et Addo Abbas Dervensis Monasterii, ut ex lib. Miracul. S. Bercharii Abbatis, pro Heriberto Comite gravi morbo laborante matutinalem Missam celebrari jussisse legitur. Hanc matutinalem Missam alii *de Luce* appellabant. Consuetud. S. Germani a Pratis agentes de Fer. quinta in Cœna Domini: *Dominus Abbas mittit quæsitum centum pauperes... Quando pauperes fuerint reperti, ipsi adducuntur ad navem Monasterii.... Hebdomadarius Missæ matutinalis ibit celebratum ad Altare S. Crucis.* Hanc autem Missam in Monasterio S. Vincentii una cum ministris cantabant pauperes Clerici; ideoque ab aliquibus dicebatur *Missa pauperum &c.*

Missa Catechumenorum primis Ecclesiæ seculis

 ali-

aliquot precibus, & psalmis constabat, quibus absolutis voce Diaconi dimittebantur Catechumeni, aliique, qui Missæ Fidelium adesse non poterant. Decursu autem temporis admissi sunt omnes in Ecclesia, donec lecto Evangelio fieret sermo, quo habito, & illis exclusis Missa Fidelium incipiebat. Unde S. Ambrosius epist. ad Sororem 33. *Post lectiones, & Tractatum dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in Baptisteriis tradebam*. Et Concil. Carthag. 4. can. 84. *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum*.

Missa Præsanctificatorum. Equivoce dicitur Missa, caret enim consecratione Corporis, & Sanguinis Domini. Hunc morem Occidentalis Ecclesia servat in sola Feria sexta hebdomadæ majoris, seu Parasceve: Orientalis autem omnibus Quadragesimæ diebus exceptis Sabbato, Dominica, & festo Annontiationis. Laodicæna Synodus an. 314. *Non oportet in Quadragesima Panem offerre nisi Sabbato, & Dominicis tantum*. Et can. 52. Concilii Trullani: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ diebus jejunii, præter quam Sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium*. Ritus autem

tem apud Græcos hic eſt. Die Dominica præter illius diei oblationem, quinque alios Panes conſecrant, pro totidem ſequentibus Feriis uſque ad Sabbatum. Tum ſingulis diebus ſub Veſperam conveniunt in Eccleſiam, & in ipſo veſpertinarum precum offitio Sacramentum antea conſecratum proponunt, & ſumunt, præmiſſis aliquot pſalmis & orationibus. Et quia Panem antea conſecratum, & ſanctificatum ſumunt vocant hoc *Offitium Præſanctificatorum*, ideſt antea Conſecratorum.

Miſſa ſicca, *Miſſa nautica*; ab indiſcreta quorumdam devotione fuit introducta: ſicca vere, utpote carens ſumptione, & conſecratione Corporis, & Sanguinis Domini. Ritum eam celebrandi ſic exponit Durandus in rationali lib.4. c.1.

Sacerdos, ſi ex devotione, non ex ſuperſtitione velit totum offitium Miſſæ ſine Sacrificio dicere, accipiat omnes veſtes Sacerdotales, & Miſſam ordine celebret uſque ad finem offerendæ, dimittens ſecreta, quæ ad Sacrificium pertinent. Præfationem vero dicere poteſt, licet in eadem videantur Angeli invocari ad Conſecrationem Corporis & Sanguinis Domini. De Canone vero, nibil dicat: ſed orationem Dominicam non prætermittat; & quæ ibi ſequuntur ſub ſilentio dicenda non dicat. Calicem, vel Hoſtiam non habeat: nec de his quæ ſuper Calicem,

 ſeu

seu Eucharistiam dicuntur, vel fiunt, aliquid dicat, vel faciat. Potest etiam dicere Pax Domini &c. & exinde Missæ offitium suo ordine peragat: melius est tamen alia omittere. Missam hanc fecisse sibi celebrari S. Ludovicum Francorum Regem, dum captivus teneretur, asserit Gulielmus Carnotensis in ejus vita. *Totum offitium Missæ, absque Sacramenti consecratione, assidue cum uno Presbytero Prædicatore me adjuncto, tunc temporis sibi Clerico suo jugiter exolvebat devoto corde.*

Missa hæc etiam Nautica dicta fuit, in mari enim & fluminibus celebrabatur, in quibus propter motum & agitationem vix poterat Sacrificium offerri absque periculo effusionis.

Missa bifaciata, Trifaciata. Petrus Cantor, qui floruit anno 1200. harum missarum meminit, & simul improbat, veluti monstruosas, & contrarias constitutioni, & consuetudini Ecclesiæ: erant autem hujusmodi. Solebant Sacerdotes plures Missas in unam congerere, celebrantes Missam diei, vel aliam præcipuam suo ordine, usque ad offertorinm. Tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam, & quartam. Postea tot secretas orationes dicebant, quot Missas incæperant. Demum sub uno Canone sacrum perficiebant, totidem additis in fine Collectis, quot initio recitaverant.

Missa

Missa cum nota. Idest Cantata. Hujus missæ meminit Pius II. in erectione Collegiatæ Ecclesiæ Manliani in Sabinis anno 1460. *Necnon ut diebus singulis saltem tres Missas, & earum unam cum nota celebrare teneantur*:

Missa cum clamore. V. Clamor.

Missa Juditii, erat Missa, quæ celebrabatur ad aliquam veritatem occultam indagandam. Ejus ritum lege in Notitia Vocabulorum Magri.

Missam, mortuorum nuncupatam, sub gravissimis pœnis prohibuit Concil. Tolet. an. 694. eaque celebrabatur pro inimico, utquam primum moreretur.

Missa Ambrosiana non ab Ambrosio ejus auctore dicta: sed quia idem Sanctus ejus cæremonias vel auxit vel illustravit. In quo diferat a Romana, pluries hic notavi, reliqua lege in Card. Bona, vel in Missali Ambrosiano.

Missas plures ab eodem Sacerdote eadem die fuisse celebratas probat ad evidentiam Card. Bona lib. 1. c. 18. Auctoribus ab eodem relatis addere alios placuit ex Puricello pag. 1151. seqq. „ Crescentibus quotidie discordiis & litibus Canonicos inter & Monachos Basilicæ S. Ambrosii Mediolani Innocentius III. ad illas sedandas componendasque Judices delegavit Albertum Vercellensem Episcopum,

„ pum, & Petrum Monasterii Locedlen-
„ sis Abbatem, ex ordine Cisterciensi,
„ qui ex utraque parte auditis examina-
„ tisque testibus, ut ex Processibus intra
„ annum 1200. 1201 confectis, rem to-
„ tam componerent. Inter Reliquos testes
„ fuit numero secundus Mainfredus oculi-
„ blanci Canonicus Basilicæ, qui sic te-
„ status fuit. Vidi centies & amplius, quod
„ Canonici S. Ambrosii faciunt Missam,
„ & Missas . . . Similiter eos vidi facere
„ Dominicis diebus Missas duas, & die
„ Lunæ Missas duas, & tres interdum.
„ Nec multo post interrogatus, a quibus
„ fiebant illæ Missæ, sic respondit. Ego
„ vidi ex ipsis Missis celebrari a Domino
„ Lanterio, Præposito hujus Ecclesiæ...
„ Et Presbytero Alberto Burro: subdit
„ porro Puricellus; vide autem quemad-
„ modum tam ipse, quam alii subinde
„ protinus fuerint super hujusmodi Missas
„ interrogati, siquidem interrogati fue-
„ runt, Si unus Sacerdos celebrabat
„ omnes Missas, an plures? Quas qui-
„ dem Missas addit Puricellus uno eodem-
„ que die binas, vel etiam ternas nuper
„ dixerant celebratas. Quod si uni Sacer-
„ doti plures uno die Missas celebrare non
„ licebat, ut quid ista interrogatio? Idem
„ profecto Mainfredus huic etiam sic re-
„ spondit: Immo plures scilicet prædicti:

„ &

„ & bene vidi una die Presbyterum Burrum facere duas Missas „. Concilium Lambethense anno 1216. apud Spelmarum tom. 2. Concil. Angliæ . *Bis in die nullus Missam celebrare præsumat nisi in diebus Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ.*

In gestis quoque S. Aldrici Episc. Cenomannensis secul. 9. ex Miscellaneis Ballutii tom. 3. pag. 51. legitur, instituisse ut in die suæ Consecration is unusquisque Presbyter tres Missas decantaret, & Clerici Psalterium: Similiter pro se mortuo, in die suæ depositionis.

Missa publica dicitur non a loco, olim enim in Cryptis, abditisque, ac remotioribus locis agebatur, sed a conventu populi circumstantis offerentis, ac communicantis. Gregorius M. Castorio Ariminensi Episcopo lib. 4. c. 43. Missas publicas fieri vetat in Monasterio, *ne in Servorum Dei recessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat; frequentior quoque introitus mulierum arceatur.*

Ex quo tamen, & ex aliis statutis non infertur vetitam olim fuisse in Monasteriis Missam solemnem cum cantu, & ministris, sed eam solum, ad quam fideles promiscuè admittebantur, & quæ ab Episcopis cum totius populi cœtu agebantur, ne secula-

cularium concursus distraheret Monachos: apud quos Missas semper in usu fuisse patet pluribus in locis ex Martene loc. cit.

Missa solitaria, seu privata. Hujus Missæ nomine veniunt illæ, quæ a solo Sacerdote, nemine præsente, & respondente, olim fiebant in Monasteriis; illa enim, quæ sine Diacono, Subdiacono, cantoribus &c. uno tantum ministrante, sive aliqui fideles adessent, sive non: sive solus celebrans communicaret, sive alii, Missa privata dicebatur. Quo ad solitariam porro legi potest opusculum Petri Damiani prænotatum *Dominus vobiscum*. Plura enim ibi congerit ut hoc licitum esse ostendat. Hoc etiam patet ex Martene lib. 2. c. 26. qui negantes hoc fieri posse sic evincit. *Contrarium tamen videtur ex vita S. Wanebaldi, in qua Presbyter quidam Ecclesiam valde diuculo intrasse dicitur ad Missam faciendam pro eo, unde suavissimo odore recreatus exivit ad consortem hujus miraculi quærendum, quod certe non fecisset, si socium Missæ Ministrum habuisset.*

Ex vita quoque S. Meginardi Eremitæ, qui a Siccariis Missam solus celebrans inventus est, & occisus. Hoc idem probat insigne illud miraculum, quod Mediolani evenit anno 1101. Feria Quinta in Cœna Domini, quum Presbyter Liprandus in testimonium & detestationem simoniacæ electionis

Gro-

Grosulani, dicti Archiepiscopi, illæsus per medias flammas transivit, & Grosulanum de Simonia convicit. Dum enim ignis facturus esset Judicium (en tibi exemplum de Missa Judicii) *indutus cilicio, Camisio atque Casula more Sacerdotis, ab Ecclesia S. Pauli, usque ad Ecclesiam Ss. Protasii & Gervasii, & Beatissimi Ambrosii nudis pedibus Crucem portavit. Super quorum Sanctorum altare, ceteris Sacerdotibus deficientibus, ipse sibi Missam cantavit.* Cetera vide apud Puricellum in Actis SS. Arialdi & Herlembaldi, & in Mon. Basil. Ambros.

Missa una, & eadem à pluribus Sacerdotibus celebrata. Mos iste adhuc viget apud Græcos, & apud Latinos in solis Ordinationibus Episcoporum, & Presbyterorum, & hunc acriter defendit, probatque contra Durandum in 4. Sentent. dist. 13. quæst. 3. & alios Scholasticos Card. Bona Rer. Liturg. l. 1. c. 18. plures congerens auctoritates & testimonia Conciliorum & Patrum, queis clarissime ostendit hunc morem viguisse in Ecclesia.

Missa ad prohibendum ab idolis. Hæc missa olim celebrabatur Kalendis Januarii ad tollendas superstitiones, quæ in illo die fiebant, & quibus Pagani se polluebant. De hac agit Menardus in notis ad lib. Sacrament., c. 33. In prisco etiam Ordine Romano reponitur hæc

hæc Missa, cujus prima oratio hæc est: *Omnipotens sempiterne Deus da nobis voluntatem tuam & fideli mente retinere & pia conversatione depromere, ut Ecclesia tua à profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione.*

Hujus Missæ vestigium aliquod adhuc superest in Ecclesia Ambrosiana, ut videre est in Liturgia hujus diei, cujus hæc est Ingressa, sive introitus: *In conspectu gentium nolite metuere, vos enim in corde vestro adorate, & timete Dominum, Angelus enim ejus vobiscum est.* Oratio super populum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui Mensæ tuæ participes a diabolico jubes abstinere convivio, da, quæsumus plebi tuæ, ut gustu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedat.* Lectio ex c. 6. Baruch. *Propter peccata, quæ peccastis &c.* usq. ad *Angelus enim meus vobiscum est.*

Missale, liber continens omnes Missas per annum legendas, dictum etiam *Sacramentale*, seu Sacramentorum liber.

Missaticus, *Missatica paratura*. Hac voce utitur auctor vitæ S. Udalrici Augustani Episcopi, & significat omnem ornatum ad Missam celebrandam necessarium. Ordo Rom. *Missalia vestimenta* nuncupat.

Misso, *Missas*. Celebrare Missam, *vellem ego potius nunquam Missare, quam sic damnabiliter idololatrare.* Bernardus Tergensen. V. *Hostia.*

Mitra,

Mitra, ornamentum Episcopale, dicta etiam Cidaris, Tiara, Infula, Phygium &c.

Mittentes dicebantur illi, qui ut mortem vitarent, thus in igne ponebant, ut S. Marcellinum fecisse quidam dicunt, sed non probant.

Monachæ. Monacharum mentio fit in Epitaphio, seu lapide sepulcrali in Basilica S. Ambrosii Mediolani: *In omni autem Anniversario: Cantores omnes simul cantent ad sepulcrum, ut si tunc sepelirent eum, & cum duobus Custodibus & sex Monachabus de eadem Ecclesia &c.*

Modellus, Calix. Martene in Onomastico.

Monstrantia quid significet facile colligitur ex his, quæ refert Martene l. 3. c. 25. n. 9. loquens de festo SS. Corporis Christi. *Sacerdos hebdomadarius in profesto hujus diei duas consecrat hostias magnas, quarum altera reconditur in monstrantia ad hoc aptata, cum vitro perspicuo, quæ post finem Missæ deportatur obvoluta linteo mundo, & includatur capsellæ in quo Corpus Domini pro infirmis conservari consuevit. . . . Præmissa venia monstrantiam extrahat ex capsula, eam deferendo ad altare.* Ex his patet *Monstrantiam* aliud non esse, nisi *Ostensorium*, seu Instrumentum illud, in quo Christi Corpus exponitur publicæ fidelium adorationi.

Mystagogia a S. Dionysio c. 1. Eccl. Hierarch. appellatur Missa.

Myste-

Myſterion, Myſterium, Liturgia-ſacra, ſeu Res abſcondita.

N

NAon, Pars Templi, ſeu ipſum Templum cancellis vel tabulatis a Narthece ſeparatum, in quo morabantur pœnitentes tertii generis, inferiorem partem occupantes, poſt quos manebant fideles, ſervata ſexus & ordinis diſtinctione.

Narthex, erat locus proximus januæ intra Eccleſiam, in quo primum viciniores portæ infideles, tum catechumeni, & pœnitentes ſecundi ordinis morabantur.

Natalis Calicis. Feria quinta majoris hebdomadæ, in qua Sacrificii inſtitutio recolitur. *Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis, quia hac eademque die mvſticum Paſcha Dominus celebrans cum diſcipulis, Sacramenta Corporis & Sanguinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit*. Eligius Noviomen. Epiſc. hom. 10. in Cœna Domini.

Natalis Epiſcopi, ſeu Pontificis, dies illius ordinationis, dictus etiam Natalitius dies, Natalis Sacerdotis, Anniverſarius ordinationis &c.

Navellum, ſepulcrum, tumulus &c. *Cum autem morerentur, ſepeliebantur in Eccleſia S. Ambroſii in Navello marmoreo rubeo,*

quod

quod erat positum super duos Leones marmoreos rubri coloris . . . . . & super Navellum est una Aquila , ubi cantatur Evangelium , & Epistola . . . . Allico post paucos dies obiit , & fuit sepultus in Navello Comitum Angleriæ , in S. Ambrosio . Puricellus loc. cit. p. 769. seq.

Navicula , Acerra , vasculum illud in quo ponitur incensum , dictum & Pixis .

Navis , Gremium , pars amplior Basilicæ , seu media .

Necrologium , liber , in quo mortuorum nomina scribuntur .

Necrothyta , res mortuis sacrificata . *Si ergo gulam , & ventrem ab inquinamentis liberamus , quanto magis oculos & aures ab idolothytis , & necrothytis voluptatibus abstinemus* . Tertull. de Spectac. c. 13.

Nebulæ , *Nevolæ* , *Nobulæ* , unum & idem significant , ideſt Hostias , seu Oblatas , scilicet panem subtilissimum , qui in ferro caracterato conficitur , Gallice Oubye : *Si forte sunt in promtu cruda poma , vel ea quæ in ferramento caracterato de consperſione farinæ tenuissimæ fiunt , & ab hominibus Romanæ linguæ Nobulæ , & a nostratibus appellantur Oblatæ* . Martene &c. Hac voce adhuc utuntur aliqui , ad significandos illos tenuissimos panes , quibus litteras missivas obsignamus . V. *Oblata* .

Neophylax . Custos Templi .

Neo-

Neophytus. Recens Baptizatus.

Neuma, *Neumata &c.* sunt notæ illæ quæ in fine vocis Alleluja prolixe cantantur. *Allelujatici cantus modulatio, laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones, quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve, sed longo protrahitur neumate.* Stephanus Eduen. lib. de Sacram. altaris, cap. 12. Et Hugo Victorinus de Mist. Eccl. *Quando sequentia dicitur, posterius Alleluja non habet pneuma.*

Nimbus, apud scriptores ecclesiasticos diadema significat, quod imponi solet imaginibus Sanctorum Canonizatorum, aliàs *Aureola, splendores, lumen, quod circa Angelorum capita pingitur, Nimbus vocatur.* Isidorus lib. 19. Etym. c. 31.

Nola, *Campana*. Strabo cap. 5. rer. ecclesiast. A Campania Italiæ Provincia eadem vasa majora quidem Campanæ dicuntur; minora verò, quæ & a sono tintinnabula vocantur, Nolas appellant a Nola ejusdem civitate Campaniæ.

Nolarium Campanile denotat.

Nomen offerre. Quidam ritus erat, quo Sacerdos illos nominabat, qui panem pro oblatione, vel aliquid Ecclesiæ dederat. *Offertur nomen eorum, & nundum pœnitentia facta.* Cyprian. l. 3. epist. 14.

Nominum recitatio. Post illa Canonis verba: *Memento Domine famulorum &c.* sub silentio orat

orat Sacerdos pro defunctis, qui ritus in primitiva servabatur Ecclesia, utpote ab Apostolis derivatus, recitatis singulorum nominibus. *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio*. Chrysost. homil. 69. ad popul. Antioch. Et Augustinus Serm. 32. de verbis Apost. *Hoc a Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis & Sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsorum sacrificium suo loco commemorantur, oretur, ut pro illis quoque id offerri commemoretur*. Card. Bona l. 2. c. 4. citat Flori Magistri exemplar, in quo hæc reperiuntur. *Usus antiquorum fuit, sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex Dyptychis, idest tabulis, nomina defunctorum: atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia. Ipsis Domine &c.*

Nymphæum. Vas aquæ, quod ponebatur ante fores Ecclesiæ, ut Fideles ingressuri manus lavarent. *Nymphæum, & triporticum* ante Oratorium sanctæ Crucis memorat Anastasius in Hilario.

O

O. Antiphonæ, quæ dicuntur in Adventu, incipiendo a die 17. Decembris, usque ad diem 23. majores vocantur, eo quod ma-

jori cum solemnitate decantantur. Olim incipiebantur a die 16. & ultimo loco hæc dicebatur. *O Virgo Virginum, quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem? Filiæ Jerusalem, quid me admiramini. Divinum est Mysterium hoc, quod cernitis*. Cujus quidem meminit Amalarius lib. 2. de Ord. Antiphon. c. 13. Secundum autem Ecclesiarum diversitatem, diversam etiam solemnitatem in earum cantu sortiebantur. Non erit ingratum hic referre ex Martene, ordinem, quem præscribunt Floriacenses Consuetudines. *Antiphonam O. prima die dicet Abbas, secundam Prior, tertiam Hortolanus, quartam Celerarius, quintam Thesaurarius, sextam Præpositus, septimam Armarius, octavam Magister operis, erat & Capicerius. Ea die qua canitur O. pittantia de bono vino in refectorio ad prandium cum phialis propinanda est, & in Vigilia Nativitatis Domini.* Et in Pittantiario antiquo Sancti Germani à Pratis. *Omnibus diebus, quibus canitur Antiphona O. pittantia injungitur: primamque Antiphonam O Sapientia Abbas imponere jubetur*, & Consuetud. Floriacen. *Ex quo O, incipit, nullus sanguine minuatur, nisi cui in capitulo, petita venia conceditur.*

O salutaris Hostia. Stropham hanc cantabant Monachi Casalini ex Martene, ad elevationem SS. Sacramenti, idque propter instan-

tes

tes necessitates bellorum, & heresim. Card. Bona l. 2. rer. Liturgic. c. 13. n. 2. hæc habet: *solent quædam Galliarum Ecclesiæ, dum tollitur in altum Hostia, eos versiculos canere: O Salutaris Hostia, idque rogante Ludovico XII. ab Episcopis Regni illius, ingruentibus undique bellis statutum fuit cum tamen satius sit Christum in silentio adorare, sicut consuevit Romana Ecclesia*. In multis autem Ecclesiis Ambrosianis, & maxime ruralibus, canuntur prædicti versiculi post datam benedictionem populo cum SS. Sacramento, quo tempore a Sacerdote reponitur in tabernaculo.

Obitum facere. V. Facere Obitum.

Oblata. Sub hac voce in Sacris Liturgiis quamplura comprehenduntur. Tamen magis pressa, rigorosaque significatione pro ipso Missæ Sacrificio Deo Patri oblato accipitur, in ipso enim Christus, Agnus sine macula, qui tollit peccatum mundi offertur, & immolatur. Et hoc sub nomine *Oblationis* communiter a SS. PP. Missa, vel Eucharistia accipitur.

Oblata secundo loco accipiuntur pro pane, & vino, quod Fideles pro consecratione offerebant, seu pro illa panis & vini quantitate, quæ debebat consecrari, ut patet ex Orationibus, seu Collectis quæ in Missa recitantur, in quibus de oblatis fit mentio, & in Missalis Rubricis, in quibus *Oblata* in-

censari jubetur. Ambrosiano ritu diversa est oratio super Sindonem, ab oratione super oblata. Ordo Romanus. *Populus dat oblationes suas, idest Panem & vinum, & offerunt cum Fanonibus candelis, primo Masculi, deinde feminæ .... Pontifex dum cantatur offertorium, a Presbytero, & Archidiacono ad locum, ubi oblationes a fidelibus Laicis, sive viris, sive feminis offeruntur, easdem accepturus ducatur... Pontifex descendit ad Senatorium, & suscipit Oblationes Principum... antequam transeat in partem mulierum, descendit ante Confessionem.* Et Heraldus Turonen. Episcopus, c. 7. sui Capitularis. *Populus extra cancellos stet, ejus Oblatio extra cancellos recipiatur.* Hæc omnia adamussim observat Metropolitana Mediolanensis, ut etiam suo loco videbitur. V. *Veglones.*

Oblata etiam veniunt pro quacumque re, quæ Deo offertur, aut Ecclesiæ: sive pro pauperum alimento, sive pro Ministrorum sustentatione, sive pro Ecclesiæ reparatione &c. circa quæ infinita propemodum leguntur sacrorum Canonum statuta.

Oblatas, seu hostias non consecratas in tumulo, simul cum corpore defuncti nonnulli olim includebant: ut patet ex lib. 1. miracul. S. Othmari Abbatis c. 3. sec. 3. Benedictin. *Sub capite, vel circa pectus Viri Dei quadam panis rotulæ, quæ vulgo Oblatæ dicuntur,*

tur, ita illesæ, atque ab omni corruptione extraneæ ab Episcopo inveniebantur. Et in vita S. Guthberti apud Bolland. 2. Martii. *A navigantibus ad nostram insulam delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato. Oblatis supra sanctum pectus positis &c.*

Oblatæ nummulariæ, seu in formam denarii. Has nunc vulgò Particulas vocamus, ideft hostias minores illas, quibus Sacerdos populum communicat: quæ licet integræ consecrentur, simul cum hostia: & singulis integræ porrigantur, nomen tamen *Particularum* ex introducta consuetudine retinuerunt. Unde tamen hisce *Particulis Denarii* seu *Nummularii* nomen accesserit, hic habes. Honorius in Gemma animæ lib. 1. c. 66. ait: *Quia populo non communicante non erat necesse panem tam magnum fieri, statutum est, eum in modum denarii formari, vel fieri, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, pro quibus traditum Dominum recognoscerent: qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in aliquid, quod ad sacrificium pertinet*. Et c. 35. *Ideo Imago Domini cum litteris in hoc pane exprimitur, quia in denario imago, & nomen Imperatoris scribitur*. Vivebat autem Honorius anno 1130. Georgius Cassander epist. 114. ad Jacobum Pamelium meminit Bernoldi Constantiensis

Presbyteri, qui claruit anno 1060. & quem composuisse volumen ad ecclesiasticæ Reipublicæ utilitatem, prænotatum *Ordo Romanus*, ait Trithemius: de hoc inquam volumine loquens idem Cassander in Liturgicis c. 27. hæc scribit. „ Plura ab eodem
„ auctore, alioquin prudenti, pio, & ec-
„ clesiasticarum traditionum studiosissimo
„ in eam sententiam dicuntur, qui indi-
„ gnissimè tulisse videtur ætate sua in qui-
„ busdam Ecclesiis Oblatas panis, quæ pri-
„ sca Ecclesiæ consuetudine ad usum Sa-
„ crificii ad mensam Domini a populo of-
„ ferebantur, ad imaginem nummorum,
„ & ad tenuissimam quamdam, & levissi-
„ mam formam a vera panis specie alie-
„ nam fuisse redactas; quare per contem-
„ ptum minutias nummulariarum Oblata-
„ rum appellat, imaginariam, & umbra-
„ tilem levitatem illis tribuit, & indignas
„ esse panis vocabulo pro sua tenuitate: ac
„ propter eas offitium, atque Religionem
„ ecclesiastici offitii multum per omnem
„ modum confundi asserit. Ex his autem patet qua ætate cœperint hostiæ, & particulæ, quibus nunc utimur. Quod autem hæ nummulariæ oblatæ non apud omnes receptæ fuerint, colligitur ex Petro Abbate Cluniacensi, qui floruit an. 1150. & lib. 1. Miracul. c. 5. scribit hominem quemdam, qui Corpus Domini indignè susceperat, num-

numquam illud trajicere potuisse, *sed frusta omnia comminuti Corporis Christi, cum vino, quod susceperat, in vas, quod ore suppositum fuerat, refondere coactus est*. Unde eruitur talem tunc fuisse panem, qui deglutiri non posset, nisi dentibus comminueretur.

Oblatio. In quo consistat Oblatio Sacrificii, prout Sacrificium est, disputant inter se Theologi: fatentur tamen Oblationem esse intrinsecam Sacrificio, adeoque a certa precum, seu rituum formula minime dependentem: alioquin Apostolorum, & priorum, qui nundum institutis Orationibus in Missali præscriptis vivebant Sacrificium oblatione caruisset. Quicquid igitur Offertorii nomine comprehenditur, simplex cæremonia est, ac mere accidentalis, mox futuri Sacrificii præparatio.

Oblationarii erant illi, ad quos spectabat oblationes suscipere, & deferre Archidiacono. *Archidiaconus suscipit Oblatas duas de Oblationario, & dat Pontifici*. Ordo Romanus. Dicitur Gregorium Tertium disposuisse, ut in cœmeteriis circumquaque positis luminaria ad vigilias faciendas, & oblationes de Patriarchio per *Oblationarium* deportarentur ad celebrandas Missas.

Obsequi ad Missam. Inservire sacro, Sacerdoti in Missa ministrare &c. Martene lib. 2. c. 5. *Quod si talis matutinalis Missa fuerit, ad quam*

quam tres obsequuntur Conversi ... Quando vero unus tantum obsequitur.

Obsequium. In libro usuum Cistercien. quomodo hospes sepeliatur: *Quo tumulato, si cantor viderit expedire interrumpat psalmodiam ... Ab hoc obsequio possunt remanere infirmi &c.* Et de sepultura Abbatis apud Martene lib. 5. cap. 11. 12. *De obsequio autem ipsius ita fieri debet &c.* Ex quibus colligitur obsequii nomine venire ea omnia, quæ ad defuncti sepulturam exequiasque fieri solent. Consuetudines Mss. S. Germani Parisiensis apud cit. Martene lib. 3. cap. 24. 28. *Ad Vesperas fit duplex festum de Domno Dagoberto Rege hoc modo: campanæ dupliciter sonantur ... deinde celebretur festive obsequium Regis Antiphona* Placebo: *℣. Congregati sunt &c. a quatuor in cappis, & post ℣. repetatur Audivi vocem: Antiphona: Ego sum resurrectio &c.*

Hic obsequium quoque sumitur pro Anniversario &c. Obsequium quoque sumitur pro his omnibus, quæ aguntur circa agentes animam ex Martene.

***Offitium**, seu obsequium circa morientes.* Nomine quoque obsequii venit apparatus rerum necessariarum ad aliquam publicam Ecclesiasticam functionem. Consuetudin. Divionen. *Quoties aliqua urgente necessitate. Reliquiæ Sanctorum extra Monasterium sunt defe-*

deferendæ hujusmodi obsequiis sunt prosequendæ.

Octava est complementum solemnitatis. Ex his multas celebrat Romana Ecclesia, quæ tamen in Ambrosiana non observantur, apud quam istæ solæ fiunt, & ritu omnino a Romano diverso, videlicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi.

Odor incensi. Incensatio, thurificatio, incensare &c. *Deinde Domnus Abbas aspergat aquam super sepulturam, cum odore incensi.* Martene l.5. c.10. similiter nomine incensationis intelligenda sunt alia plura apud eumdem, ut V.G. *Præbeat odorem Sacerdoti ... Det odorem Sacerdoti. Ipse etiam cereus per manum Diaconi incensi fumo perfunditur. Altare aromatizet &c.* quæ omnia thurificationem important.

Oeconomia. Hoc vocabulo utitur Epiphanius hæresi 75. pro Sacrificio, idemque est apud illum *Oeconomiam facere*, ac sacrificare, & Eusebius lib.8. Demonstrat.Evang. Dixit Christum tradidisse Discipulis suis *symbola divinæ œconomiæ*.

Offerenda : Amalarius, aliique sub offerendæ nomine comprehendunt ea omnia, quæ a Sacerdote, & Ministris fiunt, & recitantur a Salutatione, idest *Dominus vobiscum* post Symbolum, usque ad conclusionem secretæ Orationis, cum alta voce Sacerdos dicit: *Per omnia sæcula*. *Of-*

Offerendæ sæpe meminit Martene, qui l. 2. c. 4. hæc habet. *Ad majorem Missam de Calice in his diebus, & Corporali unus interim Ministrorum servit, ad minorem unus Infantum, qui & cum Sacerdote ad offerendum procedit, calicem & patenam cum linteolo tenens &c.*

Offertorium ritu Romano est Antiphona illa, quæ legitur post symbolum, si dicendum sit, sive post Evangelium. Ambrosiano vero ritu non dicitur nisi post Orationem super Sindonem: lecto enim Evangelio dicitur Antiphon. quam vocant *post Evangelium*.

Offertorium primum. Græci hunc ritum servant. Facta majoris Hostiæ oblatione, plures particulas singillatim offerunt, quas *Meridas* vocant. Quod & faciunt reliqui Sacerdotes, & Diaconi celebranti assistentes. His peractis, thus adoletur tum ipsis donis, tum velaminibus. Prothesi, Sacrario &c. & hoc est Offertorium primum.

Offersio: *Donum*: *Oblatio*. *Et hæc cartula offersionis nomine firma & stabilis permaneat. Magri*.

Offensio Sacramenti. Negligentia seu quid aliud circa Sacramentum, ut effusio Sanguinis, vel quid simile. Consuetud. Lyrenses. *Pro offensione Sacramenti* 40. *diebus debet jejunare: sed ex* 40. *diebus potest Prælatus in secreto* 20. *relaxare pœnitenti*.

Offitium: sumitur primo pro integro horarum cur-

cursu Canonicarum, quem recitare debent omnes in sacris constituti, Beneficia possidentes, Religiosi, Moniales &c. & hoc sub nomine venit etiam Offitium Defunctorum, Psalmi Graduales, Pœnitentiales &c.

Offitium quoque accipitur pro Missa, & principaliter pro Defunctis: & etiam pro Introitu Missæ ipsius: Liber usuum Cistercien. *Sollicite provideatur, ut ante Dominicam, qua canitur Offitium Judica me Deus, perfecti sint.*

Olibanum: Incensum.

Omophorion: apud Græcos significat Pallium. Differt tamen Omophorion Græcorum a Pallio Latinorum, illud enim est longa fascia ejusdem circiter latitudinis, collum primo involvens, tum a collo per medium pectus infra genua dependens, crucibus inter texta.

Opus Dominicum a S. P. Benedicto vocatur Divinum Offitium: sed ex statutis Adalardi Abbatis Corbejensis lib. 1. c. 2. sub hoc nomine veniunt opera servilia, quæ Dominis suis servi debent præstare. *Primo die jejuniorum Quadragesimæ ut habeant spatium Confessiones renovare, Monasterii servis ab opere Dominico parcendum esse decernunt.*

Oraculum: Capella, Oratorium &c. *Intra Basilicam S. Petri oraculum miræ pulchritudinis construxit.* Anastasius in Leone.

Orale, habitus sacer, quo utitur Summus Pontifex,

tifex , cum ſolemniter celebrat , dictus etiam Fanon. *Romanus Pontifex post albam , & cingulum aſſumit Orale , quod circa caput involvit , & replicat ſuper humeros , legalis Pontificis ordinem ſequens , qui post lineam ſtrictam , & zonam, induebatur Ephod*. Innocentius III. l. 1. c. 33. Eſt autem Orale velum ſericum ſubtiliſſimum , diverſis coloribus diſtinctum , & virgatum.

Orarium ab omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis accipitur pro ſtola. Gemma animæ lib. 5. c. 104. *Deinde circumdat collum ſuum ſtola, quæ & orarium dicitur*. Rabanus Maurus l. 1. c. 19. *Quintum eſt , quod orarium dicitur , licet hoc quidam ſtolam vocent*. Alcuinus de Divin. Officiis cap. 39. *Sequitur orarium , ideſt ſtola* . Apud veteres tamen orarium nihil aliud erat , quam ſudarium , vel linteolus ad faciem abſtergendam . S. Ambroſius Orat. de obitu S. Satyri fratris, deſcribens tempeſtatem , qua jactabatur , inquit: *Divinum Fidelium Sacramentum ligari fecit in orario , & orarium involvit collo , atque ita ſe dejecit in mare*. Ex quo loco aperte habetur hic orarii nomine non intelligi ſtolam, Satyrus enim laicus erat ; ſed vulgare linteum : quod & clarius colligitur ex cit. Ambroſio epiſt. 54. de Miraculis SS. Protaſii , & Gervaſii.

Quan-

Quanta, inquit, *oraria jactitantur, & tactu ipso medicabilia reposcuntur*. Et Pontius in vita S. Cypriani. *Fratres linteamina, & oraria ante ipsum ponebant, ne sanctus cruor defluens a terra absorberetur*.

Oratio. Orationum nomine in Liturgiis veniunt omnes illæ Collectæ, seu Orationes, quæ a Sacerdote sive alta & intelligibili voce, seu submissa in Sacrificio recitantur. Ambrosiani quatuor Orationes dicunt in Missa: prima vocatur *super Populum*: secunda *super Sindonem*: tertia *super Oblata*: quarta *Postcommunionem*.

Oratio super Populum ritu Romano dicitur in feriis Quadragesimæ, Diacono, vel ipso Sacerdote præcinente: *Humiliate capita vestra Deo*.

Orationem dare veteris Ecclesiæ praxi dicebatur, quam Sacerdos dicebat *Oremus*. Hunc ritum explicat Uranius in Vita S. Paulini, describens obitum S. Joannis Episc. Neapolitani. *Ad Ecclesiam processit, & ascenso tribunali populum ex more salutavit, resalutatusque populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit*. Anastas. in Sergio III. *Et data a Pontifice super populum oratione*.

Oratio ad complendum. Postcommunio, seu collecta, quæ dicitur absolutis horis Canonicis, seu Missa.

Osculatorium est tabella illa argentea, vel alio ex

ex metallo, cum Crucis, vel Christi Imagine, quæ osculanda porrigitur in Missa, & hanc primo Sacerdos, deinde reliqui osculantur, & vulgò dicitur *Pax*.

Ostensorium Theca illa, in qua ponitur Hostia consecrata, cum publicæ Fidelium ad orationi exponitur, ut fit in Oratione 40. horarum.

Ostiarius. Ejus offitium describit Isidorus epist. ad Lanfred. *Pertinent ad eum claves Ecclesiæ, ut claudat & aperiat Templum Dei, & omnia, quæ sunt intus custodiat: Fideles recipiat, infideles reiiciat*. Dicuntur quoque Janitores.

P

PAla Instrumentum rusticanum, *Sacerdos autem primus cum pala mittens ter aliquantulum super illud* (cadaver) *de terra subjungit has collectas. Martene &c.*

Palla linea, seu Sindon, super quam Corpus Christi conficitur, cui ideò & *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis fuit indictum. Ordo Romanus. *Ubi pallæ corporales lotæ fuerint, nullum aliud linteamen ibidem debet lavari*. Et Innocent. lib. 2. de Mysteriis Missæ. c. 56. *duplex est palla, quæ dicitur corporale: una quam Diaconus super altare totam extendit, altera, quam super calicem plicatam imponit*. Martene l. 2.

l. 2. cap. 4. n. 17. *In sinistro* (altaris) *ponant tersonium sub palla, cui benedicta superponitur. Quatuor enim pallæ, absque Sudario super altare poni debent.* Tobalea vulgò dicitur.

Palla Linostima, Stola Diaconalis. Legitur S. Silvestrum statuisse, ut Diaconi Palmaticis in Ecclesia uterentur, & palla linostima læva eorum tegeretur. Zozimum quoque ajunt statuisse, ut Diaconi lævas tectas haberent de *Pallis linostimis*.

Pallium Pontificale ornamentum, quod solis Patriarchis & Archiepiscopis, vel ex Privilegio particulari aliquibus Episcopis conceditur. Est autem Pallium fascia lanea candida, tribus circiter digitis lata, & in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo alia similis fascia ante pectus, alia deorsum ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur; quæ fasciæ purpureis Crucibus sunt insignitæ: ipsum autem Pallium tribus aciculis, seu spinulis aureis colligatur. Fit ex lana agnorum candidorum, qui in die S. Agnetis in ejusdem Ecclesia Romæ extra Portam Piam in via Nomentana ad Missam solemnem offerri, & benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, & in aliquo Sanctimonialium Monasterio enutriri, donec veniat tempus eos tondendi. Ex horum lana texunturPal-

lia, quæ in Basilicam Vaticanam delata, super corpora SS. Petri & Pauli ponuntur in vigilia Nativitatis ipsorum, ibique tota nocte dimittuntur, ac sequenti die deputatis custodienda traduntur.

Pallia sunt etiam illa ornamenta quibus altaris pars exterior tegi solet, prout ratio coloris exigit: Martene l.4. c. 1. *In choro quatuor Pallia, & in Presbyterio octo suspenduntur.* Et infra, *Altare majus tribus palliis mystica Ratione cooperitur*, Et Consuetud. Cluniac. c. 11. *Ad nocturnos tria diversi coloris pallia super altare principale mittuntur, singulatim auferenda. Frontalia* altarium alii nominant.

Pallium, Baldachinum, Dasium, Umbellum, &c. Consuetud. Lyræ. *Sacrista extendat pallium, & unam tuillam super Corpus Domini, & cereum coram eo accendat, qui ardeat usque ad tenebras.* Et liber usuum Beccens: *Post hæc ferat Diaconus hostias consecratas, corporalibus involutas, prius a Sacerdote incensatas, in locum constitutum. Secretarius extendat pallium desuper, & coram accendat cereum.* Ex his potest inferri nomine Pallii etiam intelligi linteum, Corporale &c.

Pallium etiam sumitur pro tapeto, strato, coopertorio &c. *Taliter paratum corpus feretro imponatur, & pallio cooperiatur.* Lanfrancus Statut. 24. & alibi: *Dicta*

colle-

collecta Obsecramus misericordiam tuam &c. duo exfratribus, qui foras sunt, pallium desuper extendunt.

Palmarum Festum, Dominica in Ramis Palmarum; dictum etiam Dominica florum, seu ramorum, Pascha petitum, seu Competentium, ea enim die Neophytis symbolum tradebatur, ideoque in Ecclesia Ambrosiana Sabbatum præcedens, vocatur Sabbatum in traditione symboli. In Processione hujus diei deferebatur quoque Eucharistia super humeros Sacerdotum in tabernaculo bene ornato, ut ex Albino Flacco de divin. offit. & ex Lanfran. c. 1. §. 4. *Hodie præparatur quoddam portatorium honestissime, in quo intromittitur sanctum Evangelium, quod intelligitur Christus, Diaconi supradictum portatorium bajulantes*. Et Consuetud. Germaniæ. *Mane in Palmis custodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponuntur parvæ capsæ, sive textum Evangeliorum*.

Palmorerium: Palmarum ramus. Puricellus pag. 1133. *Ibi honorifice Domnus Abbas recipit Archiepiscopum, & ipse Domnus Archiepiscopus Dat Abbati Palmorerium*: & pag. 1135. *Existente ipso Archiepiscopo supra equum, & Abbate stante dat ei palmorerium unum, idem Domnus Archiepiscopus*.

Panis fractio, Missæ Sacrificium.

Parecclesiæ. Quamvis Græci unicum in Ecclesiis altare habeant, plura tamen ipsi Ecclesiæ proxima, & muro disjuncta Sacella habent, quæ ab ipsis Parecclesiæ vocantur, quasi Ecclesiarum appendices, in quibus pro festis diebus liturgias privatim habent.

Paratoriam: Abacus, mensa, sive credentia, ubi disponi solent, quæ ad Missæ Sacrificium spectant. *Calicem autem Subdiaconus accipit, sequens, & dat Acolytho, & ille revocat in Paratorium*. Ordo Romanus.

Paratura linostima: Martene l. 2. c. 3. n. 14. Et *habeant singulas Paraturas linostimas, subtiliores, quibus in diebus festis solùm in processionibus utuntur*. *Linostima* autem fortè dicitur, quia ex lino contextæ erant hujusmodi Paraturæ.

Particula: Particulæ impropriè vocantur illæ minores hostiæ, quas supra vidimus appellatas hostias nummularias, seu in denarii forma, quibus nunc communicantur laici, & qui non celebrant. Rigorosè tamen, & in sensu liturgico neutiquam tales appellari possunt: illæ enim partes hoc sub nomine veniebant, quæ ex pane majori consecrato secabantur, & fidelibus communicaturis distribuebantur, erant enim partes parvæ respectu totius ma-

teriæ

teriæ ſacrificii. In ampliori tamen ſignificatione illæ poſſunt dici Particulæ; quæ ſimul cum majori hoſtia à Celebrante conſecrantur, & in eadem Miſſa populo communicanti diſtribuuntur: Verè enim de his dici poteſt, quod ſint partes illius Sacrificii; & ab illarum parvitate, reſpectu majoris hoſtiæ *Particulæ* nuncupantur.

Paraphoniſta: Magiſter Cantorum. *Paraphoniſta cum ſchola incipit Vigilias*: Antiqua Cæremonialia.

Paſcha annotimum. Dies anniverſarius baptiſmi. *Romani annotimum Paſcha*; *quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus illi qui in Paſcha priore baptizati erant; in ſequenti anno ſuæ regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrabant*. Micrologus de eod. obſervat. c. 26. Card. Bona loc. cit. lib.2. c. 12. Ex vetuſtiſſimo Codice refert preces particulares in Miſſa recitatas illa die. Ambroſiano autem ritu per totam octavam Paſchæ binæ aſsignantur Miſſæ, una quidem de Feſtivitate; altera pro baptizatis.

Paſcha clauſum; Sabbatum in Albis, eo enim die terminabatur Paſchalis ſolemnitas, ideò rectè Ambroſiano ritu Dominica ſequens nuncupatur *Dominica in Albis depoſitis*.

Paſcha petitum; ſeu *Competentium*; Dominica

Palmarum: eo enim die Symbolum tradebatur Competentibus, seu Catechumenis. Consuetud. Germaniæ, ex Martene lib. 3. c. 13.

Passio: *Passiones*, sunt illa Evangeliorum capita, in quibus D. N. J. C. acerbissima Passio narratur. Leguntur autem ritu Romano in Dominica Palmarum, & in sequentibus feriis tertia, & quarta, & sexta in Parasceve. In Ecclesia tamen Mediolanensi in Dominica Palmarum legitur Evangelium Joannis cap. 11. ab illis verbis: *Proximum erat Pascha Judæorum &c.* usque ad illa: *Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum*. Hunc ritum non legendi Passionem in dicta Dominica, observabant & alii, ut ex statutis Lanfranci c. 1. §. 4. *Sacerdotes ad privatas Missas unam tantum collectam dicant: Evangelium, Cum appropinquasset, Passionem nullus legat.* Uldaricus lib. 1. c. 54. *In Ramis Palmarum una Collecta est dicenda: nec Passio legitur, sed illa tantum Lectio S. Evangelii: Cum appropinquaret.* Consuetud. S. Benigni, c. 27. *Sabbato ante sanctum diem Palmarum cappæ incrastinum ferendæ præparentur. Incrastinum nec ad Missam Matutinalem, nec ad Missas privatas Passio legitur, sed illud Evangelium: Cum appropinquaret.* Idem præscribunt Consuetud. S. Benigni, Compendien.,

dien., Ordinar. Tullense, Consuetud. Grandi monten &c. Illæ tamen S. Germani à Pratis, hæc habent : *Quando erimus circa finem Tractus, Sacrista pulsabit unam parvam campanam pro congregandis domnis ad audiendam Passionem, quia ipsa die non debet legi nisi in magna Missa*, Corbejenses autem : *Nullus legat Passionem, nisi solus Celerarius privatim*.

Ambrosiani porrò Feria 5. in Cœna Dñi legunt Passionem secundum Matthæum usque ad illa verba : *Flevit amare* : & Feria sexta in Parasceve legunt quæ sequuntur ab illis verbis : *Mane facto consilium inierunt &c.* In reliquis verò diebus numquam Passiones legunt.

Pastorale. Baculus Pastoralis.

Pastophorion. Locus in quo sacræ vestes, & vasa reconduntur. lib. 4. de Gestis Friderici, c.13. *Vulpes & Lepores Pastophoria Ecclesiæ, & officinas Canonicorum ingressæ*.

Patena Calicis operculum, sic dicta a patendo. Hanc Græci *Discon* vocant, sed discus magis cavus & capacior est, ne panis sacri micæ excidant.

Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas inter Pontificum, & Principum donaria legimus, quæ autem usui esse non poterant.

Patenæ porro aliæ erantMinisteriales,aliæ Chris-

males. Primæ ceteris ampliores pro ministranda Fidelibus Eucharistia inserviebant. Secundæ autem alium usum non habebant nisi in Baptismate & Confirmatione. Anastasius in Silvestro. *Patenam argenteam Chrismalem obtulit*. Patenas quoque vitreas fieri sancivit Zepherinus.

Patrocinium, *Patrocinia*: Sanctorum reliquiæ quorum Patrocinia invocantur, vel in Processionibus deferuntur, dicta etiam Philacteria. Martene pluribus in Locis.

Pausans, *Pausantes*, qui in communione catholica in Domino quieverunt. Mozarabum ritu, in eorum Missa bina fit mentio *Pausantium*, primo post offertorium vivorum, in quo præmissa commemoratione B. Virginis, Zachariæ &c. ait Sacerdos: *Item pro spiritibus Pausantium* & recitantur multa Sanctorum nomina. His recitatis secundo Chorus ait: *Et omnium Pausantium*. Tum sequitur oratio, in qua fit mentio offerentium, & defunctorum.

Pax, instrumentum illud, quod osculandum datur in Missa. V. *Osculatorium*. Pacis dandæ, seu osculandi se in osculo Sancto originem, ritusque vide apud Card. Bona l. 2. cap. 2. 16. 46. Dabatur autem Pax, aut per osculum, aut per instrumenti porrectionem. Ritu Ambrosiano dicit Diaconus: *Offerte vobis pacem*, & Chorus respondet *Deo gratias*, & præmissa oratione,

Do-

Domine Jesu Christe &c. pax datur. Eodem ritu pax tantum annuntiatur post Evangelium. *Postea Reversus ad medium altaris, extendens & jungens manus dicit Dñus vobiscum, Kyrie ter. Tum junctis manibus legit antiphonam post Evangelium, si legenda sit: deinde ipse, vel Diaconus dicit Pacem habete. ℟. Ad te Domine.* Rubr. Missal. Ambros. Hunc ritum dandæ Pacis per osculum viguisse adhuc tempore Innocentii III. patet ex ejusdem l. 3. Mysterior. Missæ, c. 5. ex quo infert Card. Bona l. 2. c. 17. hanc consuetudinem permansisse donec a Fratribus Franciscanis plerique ritus Ecclesiæ Romanæ aut sublati sunt, aut immutati.

Pecten. Olim Sacerdos Sacrafacturus; non solum manus lavabat, sed & caput pectebat; ut ex Rituali MS. Abbatis Roraldi apud Magri in vocab. *Deinde ministretur ei aqua ad manus, & Pecten ad caput.*

Pectorale, Gemma illa, quam Episcopus portat in pectore, ubi Pluviale connectitur, dicta etiam *Rationale*. *Prior Subdiaconorum cum Subdiacono Romanæ Curiæ, cum Capellano Aule Imperialis ad Pectorale dexterum laudes Imperatoris cantat*. Petrus Burgensis Cæremoniarum Magister.

Pedifer, qui Baculum Pastoralem defert ante Episcopum, vel Abbatem. Martene l. 4. c. 1. *Notandum est; quod quando Abbas*

facit

facit offitium, *Pedum*, *seu Crossa a Capellano*, *sive Pedifero defertur*.

Pedum, Baculus Pastoralis: *Novissimus sit Abbas, cum suo Capellano ante ipsum Abbatem Pedum, seu Crossam deferente*. Cit. Martene.

Pedules, sub hoc nomine comprehenduntur *Sandalia*, seu *Compagi*, de quibus suo loco. Ordo Romanus ad Abbates horum usum extendit; agens enim de Abbatum ordinatione, ait: *Episcopus det ei Baculum*, *& Pedules*.

Pelvis ænea. Campana: sic Franciscus Sanctius Brocensis apud Puricellum Monum. Basil. Ambros. explicat emblema illud 15. Andreæ Alciati de custodia & vigilantia.

Instantis quod signa canens dat Gallus Eoi,
Et revocat famulas ad nova pensa manus:
Turribus in sacris effingitur: *ærea mentem*
Ad superos Pelvis quod revocat vigilem.

Subdit autem Sanctius, quod ærea pelvis, aliud non sit, nisi Campana.

Penula quid sit, valde inter se Scriptores diffident. Communior tamen opinio est, eam fuisse aliquam vestem sacram, seu sacrificantium propriam. Nicephorus Constantinopolitanus dona mittens Leoni III. ex antiqua translatione ait: *Misimus fraternæ vestræ beatitudini Encolpium aureum*, *tunicam candidam*, *& penulam castaneam*.

Pe-

Pera, facculus a collo ad lumbos pendens. Hinc pera viatoria vocatur illa, in qua panem, & alia portare solent itinerantes. Erat autem pera, pellis caprina, quam in mortificationis inditium Monachi portare solebant, ut ex Cassiano Collat. 11. c. 3. *Sumpto baculo & pera, ut illic cunctis egredientibus moris est &c.* Et de Sancto Anselmo Cantuariensi, hæc habet Eadmerus in ejus vita num. 33. lib. 2. apud Bolland. 27. Aprilis.

Peram & baculum peregrinantium more coram Altari suscepit. Et in libro Miracul. Sancti Columbani Abbatis: *Jussit antecedere Cruces, cum cereis, & thuribulis, cappamque suam, nec non & peram, ubi adsuetus erat, dum viveret, Evangelium portare.*

Pharus. Candelabri, sive lucernæ speties, in quibus candelæ, seu cerei, vel oleum ardebat. Anastas. in Silvestro nominat *Pharum ex auro purissimo*: in Benedicto III. Pharum, *Cantarum argenteum, sedentem in pedibus quatuor, in quo lucerna, & cerei simul ponebantur*. Et alibi *pharos coronatos* meminit.

Pertica: Virga, hasta, arundo &c. *Novus ignis postquam consecratus fuerit, aspergatur, & incensetur. Portetur quoque pertica super quam ferendus est ignis ab illo, a quo portandus est, qui in processione procedit.*

Con-

Consuet. S. Benigni; & infra: *Unus verò de infantibus affert candelam accensam, ut præsto sit ignis si extinguatur, qui supra perticam portatur*. Consuetud. S. Dionysii. *Post orationem aspergatur ignis aqua benedicta, & impleatur thuribulum de ipso igne; & accendantur cerei; & candela portanda super perticam*.

Phanon: vide *Fanon*. Consuetud. Farfenses: *Inchoet prior Miserere mei Deus, & exeant extra portam cum phanonibus; famulis portantibus ... Debet esse omnis processio sicut supra, excepto phanone*. Nomine autem *phanonum* veniunt Vexilla, vel quid aliud expansum.

Phænolium, ***Phælorium***, sacrum Græcorum indumentum, correspondens Latinorum Planetæ, a Latinis pro *penula* acceptum.

Phiala, ***Phiola***. Ampulla; Gallice *une fiole*: vas ex quacumque materia, in quo ponitur vinum & aqua pro Sacrificio.

Philacteria Thecæ in quibus Sanctorum Reliquiæ. *Duo Secretariorum alter in dextro choro; alter in sinistro, in scutellis tenent Philacteria, ministrantes ipsa duobus aliis*. Martene l. 3. c. 19. & l. 2. c. 3. *Sacerdos in collo suo Philactorium cum ligno Domini gerat*.

Phrygium: Mitra. Scriptores Græci ajunt Patriarcham Alexandrinum uti Phrygio, sive Loro; ex eo quod Cœlestinus Papa illud

lud miserit Cyrillo, quum eum jussit Ephesino Concilio vice sua præsidere.

Pignora: Sanctorum Corpora, vel Reliquiæ.

Pipa aurea Cannula, seu Fistula pro hauriendo Sanguine Domini ex Calice. Apud Miræum in Codice piarum Donationum c.21. extat Testamentum Everardi Comitis an. 937. in quo inter supellectilem sacram *pipa aurea* nominatur.

Piscina: vulgo sacrarium, idest locus ille, in quo debet proijci aqua post lotionem Corporalium, & cineres rerum sacrarum prius combustarum.

Pixis: Vas illud sacrum, in quo reponi solent Particulæ consecratæ, *sciendum quod omni die Dominico Corpus Domini mutatur, & dum Sacerdos procedit ad pacem, recens consecratum a Diacono in* Pixide cortica *reponitur. Prædictam autem Pixidem, dum Psalmi familiares dicuntur post Tertiam, Diaconus de Columba jugiter pendente super Altare bene cum linteolo de pulvere exterius tersa, abstrahit &c.* Martene una ex his Columbis adhuc magna cum veneratione asservatur Mediolani in Basilica Apostolorum, seu S. Nazarii.

Cur autem Pixis hæc, *Cortica* vocetur, plane nescio: sed si divinandum est, dicerem, per verbum *Cortica* significari Pixidem velo, seu panno saltem serico coopertam, ut moris est apud omnes, desumpta voce

Cor-

Cortica, a Cortice: ſicut enim cortex cuncta cooperit, ita & illud velum Pixidis cortex nuncupari poteſt.

Planeta: ultimum Sacerdotis operaturi indumentum: ſacrum Concil. Tolet.4. cap.27. *Presbytero in ſua Ordinatione Planeta datur, quæ idem eſt, ac Caſula*. Olim Planeta totum involvebat Sacerdotum; & ideo cum Hoſtiam, ſeu Calicem elevaturus eſſet, elevabatur a Miniſtro, ne impedimento eſſet Sacerdoti genua flectenti.

Planetæ plicatæ. Diebus jejuniorum, & Quadrageſimæ Miniſtri utuntur quidem Planetis, ſed ante pectus complicatis a parte interiori. Hoc olim neceſſarium erat propter earum amplitudinem, ut Miniſtri expeditiores forent ad miniſtrandum: ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaconus, cujus in Miſſa præcipuum eſt miniſterium, Planetam exuat, & ejus loco ſtolam latiorem accipiat.

Pluviale: olim dictum Cappa, eſt veſtis Eccleſiaſtica a ſola parte anteriori aperta, ab humeris ad pedes uſque deſcendens, & tempore pluviæ ſumebatur. Et hinc forte emanavit, ut a parte poſteriori capitis tegumentum aſſutum habeat, quod *Capucium* dicitur, ut in hodiernis pluvialibus cernitur.

Poderis Græce Latine *Alba*. Dicitur *Poderis*, quia ad pedes uſque, quos Græci Podus vo-

vocant, descendit. Paulinus Tyriorum Episcopus orationem habitam in Templi dedicatione apud Eusebium lib. 9. c. 4. sic exorditur: *Amici, & Sacerdotes Dei, qui podere induti estis &c.* Isidorus lib. 9. Originum c. 21. *Poderis est tunica Sacerdotalis linea corpori astricta, usque àd pedes descendens: hæc vulgo Camisia vocatur.*

Pœnitentes in veteri Ecclesia in quatuor distinguebantur classes, seu ordines. Flentium scilicet, audientium, substratorum, & consistentium; de quibus omnibus suo loco.

Pogium: Balaustium, sive cancelli Presbyterium cingentes. *Qui ordinandi sunt stent in Pogio sub gradibus*. Ordo Roman.

Polycandelum, candelabrum multas habens, seu sustinens candelas. *Obtulit Polycandelum porphireticum pendentem in pergula ante Confessionem in catenulis aureis*. Anastas. in Leone Tertio.

Polystaurion: *Polystaurium*. In Ecclesia Orientali Phœnolium, seu Casula Pontificalis a Presbyterali in hoc differt, quia ista simplex est, illa multis crucibus insignita, ideoque *Polystaurion* appellatur, ac si Latine Multicrucium diceremus. *Gammadium* alii vocant.

Poma fuisse olim benedicta in die S. Jacobi intra Missarum solemnia docet ordinar. Tullense.

In

In hac Missa novorum pomorum fit benedictio, quæ poma a Sacrista paranda sunt, benedicenda enim sunt infra Canonem ad illa verba: Intra quorum nos consortium &c. Postea fit a Sacerdote benedictio pomorum ita dicendo: Benedic Domine, & hos fructus pomorum &c. Eadem benedictio præscribitur a Consuetud. Compendien. & Dionysianis.

Portalicia Ecclesiæ, ideft Januæ majores Ecclesiæ. *Item sciendum est quod per totum prædictum offitium magnæ campanæ debent pulsari, & portalicia Ecclesiæ aperiri, ut Laici interveniant ad devotionem, exultationem, & gaudium creationis novi Papæ.* Rituale Ms. Corbejense.

Porta sancta, Porta speciosa. Quatuor ut plurimum in ambonibus olim erant portæ, quarum binæ ad Navium spectantes vocabantur *speciosæ*. Aliæ geminæ ad Sanctuarium præbentes ingressum dicebantur *Sanctæ*. Harum cura Subdiaconis incumbebat.

Portella: Porta minor, seu lateralis Templi. *Fiat processio per claustrum, & per portellas ingredimur Ecclesiam.* Ordin. Tullense.

Portatorium: Feretrum, lectica, vel quid simile. Ms.Consuetud. Germaniæ. *Mane in Palmis custodes præparent diligenter quoddam portatorium, in modum feretri ..... Prosequatur illud portatorium ab Abbate, & Pre-*

& Presbytero delatum cum summa gravitate.

Portiuncula: Pars Particula, pars Hostiæ consecratæ. Udalricus: *Qui rediens, & illam portiunculam Dominici Corporis, quam sumpturus est, de patena accipiens, ipsam portiunculam sumens*, Nomine autem Portiunculæ, venit *Particula*.

Postcommunio: Ambrosiano ritu *Transitorium*, est Antiphona illa, quæ dicitur post Sacerdotis & Fidelium communionem. Diaconus enim olim videns omnes communicasse, faciebat signum Crucis in fronte, ut prior scholæ Cantorum ex eo intelligeret, quando deberet post Antiphonam, quæ communio vocatur, gloriam SS. Trinitati psallere, & versum repetere: Psalmus enim & Gloria Patri cum Antiphonæ repetitione cantari solebant; recitata Antiphona dicitur Oratio ad Complendum, ea enim recitata pro gratiarum actione, Sacrificium completur; ideoque justa Cassian. lib.2. de noct. orat. cap.20.

Preces concludere, est ultimam Orationem, seu Collectam in Missa, vel Offitio recitare. *Nulla vox, præter Sacerdotis precem concludentis, auditur.*

Preces Irenicæ, seu *Diaconicæ*. Usque ad seculum nonum perseveravit ritus, ut in Missa diebus, quibus non dicebatur *Gloria in excelsis*, *post Kyrie eleison*, Diacono præ-

cinentæ, & Choro respondente, recitarentur prolixæ preces, illis similes, quas Græci *Irenicas*, seu *Diaconicas* vocant, pro omni hominum statu. Hic mos adhuc retinetur in Ambrosiana Ecclesia: Dominicis enim diebus Quadragesimæ, immediate post Ingressam, Diaconus, si in offitio Diaconatus est, alioquin ipsemet Sacerdos sequentes Preces dicit, Choro, vel Ministro respondente *Domine miserere*, seu *Kyrie eleison*. Dominica prima Quadragesimæ. *Divinæ pacis, & Indulgentiæ munere supplicantes ex toto corde, & ex tota mente precamur te.*

℟. *Domine miserere.*

Pro Ecclesia tua sancta Catholica, quæ hic, & per universum Orbem diffusa est, precamur te. ℟. *Domine miserere.*

Pro Papa nostro, & Pontifice nostro, & omni Clero eorum, omnibusque Sacerdotibus, ac Ministris precamur te. ℟. *Domine miserere.*

Pro famulis tuis Imperatore, & Rege Duce nostro, & omni exercitu eorum precamur te. ℟. *Domine miserere.*

Pro pace Ecclesiarum, vocatione Gentium, & quiete populorum precamur te. ℟. *Domine miserere.*

Pro Civitate hac, & conversatione ejus, omnibusque habitantibus in ea precamur te. ℟. *Domine miserere.*

Pro

Pro aeris temperie, ac fructu, ac fœcunditate terrarum precamur te.

℟. Domine miserere.

Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis constitutis precamur te.

℟. Domine miserere.

Pro Virginibus, Viduis, Orphanis, captivis, ac pœnitentibus precamur te. ℟. Domine miserere.

Pro his, qui diversis infirmitatibus detinentur, quique spiritibus immundis vexantur, precamur te.

℟. Domine miserere.

Pro his, qui in sancta Ecclesia fructus misericordiæ largiuntur, precamur te. ℟. Domine miserere.

Exaudi nos Deus in omni oratione, atque deprecatione nostra, precamur te. ℟. Domine miserere.

Dicamus omnes.

Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.

Hæ preces quoque dicuntur in Dominica de Abraham, seu tertia: & in Dominica de Lazaro, seu quinta Quadragesimæ. In Dominica vero de Samaritana, seu secunda Quadragesimæ, & in Dominica de Cœco, seu quarta, recitantur aliæ preces.

Præfatio: *Præfationes*: Præfationum quis primus fuerit auctor, ignorare se confessus

est Valfridus Strabo c. 22. ubi hæc habet. *Præfationem Actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanæ vocis supplicatio cælestium virtutum laudibus admitti deposcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum est.* In aliquibus Missalibus præfigitur hic titulus *Immolatio*: & interdum *Contestatio Missæ.* Vid. Card. Bona lib. 2. cap. 10. rerum Liturg. diffuse de hac materia tractan. Romana Ecclesia, & illæ, quæ eam sequuntur, undecim tantum Præfationes habent in tota Liturgia: Ambrosiana vero quampluriмas, & in feriis, & in Dominicis, & Sanctorum Festivitatibus: inter reliquas autem binæ sunt celebriores, saltem ob earum antiquitatem. Prima est illa quæ ritu Ambrosiano legitut in Dominica sexta post Epiphaniam, licet Algerus eam citet ex quinta. De ea hæc habet Guitmundus ex S. Benedicti Monacho Episcopus Aversanus, qui obiisse dicitur anno 1080. lib. 1. de Eucharistia adversus Berengarium. *Ne quis existimet me hanc sententiam ex meo sensu commentatum, Præfationem istam, quæ per totum Orbem Latinum inter Epiphaniam, & Septuagesimam in quadam Dominica habetur, hic suppposui, hæc continentem: Æterne Deus: & tibi hanc Immolationis Hostiam offerre, quæ est salutifera, & ineffabile divinæ gratiæ Sacramentum:*

tum : (sic autem legitur apud Card. Bona, in Missali vero Ambrosiano: *Quæ salutifero, & ineffabili divinæ gratiæ Sacramento offertur a plurimis*) *quæ offertur a plurimis & unum Corpus Christi Sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, & singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Propterea, ipsi, qui sumimus communionem hujus sancti Panis, & Calicis unum Christi Corpus efficimur*. Hujus Præfationis auctoritate utitur Algerus Cluniacen. Monachus, qui floruit anno 1130. in lib. de Sacram. Corporis, & Sanguinis Domini cap. 5. eam Ambrosio tribuens, & in lib. Sacrament. S. Gregorii PP. Dominica quinta post Epiphaniam. Hinc colligitur & antiquitas Ambrosiani ritus, & ejusdem Ecclesiæ studium in eo manutenendo.

Præfatio altera, quam etiam nunc recitant Ambrosiani, ex qua proprii ritus comprobatur antiquitas, ea est, quam dicunt in Festo Sancti Martini Turonensis Episcopi, quam ex Codice annorum circiter mille refert Card. Bona loc cit. pag. 79. eaque hæc est, in nonnullis tamen diversa ab ea, quam refert Emus Auctor.

Æquum & salutare, nos te omnipotens Domine in beati Sacerdotis, & Confessoris tui Martini laudibus honorare, qui Sancti tui

Spiritus dono repletus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus inventus eſt, ut Chriſtum texiſſet in paupere, & veſtem, quam egenus acceperat, mundi Dominum induiſſet. Oh felix largitas, quam divinitas operatur: oh Chlamydis glorioſa diviſio, quæ militem texit & Regem. Digne huic confeſſionis tuæ præmia contuliſti: digne ei Arianorum ſubyacuit feritas, digna tanto amore Martyrii, perſecutoris tormenta non timuit ſecurus. Quanta putamus erit glorificatio paſſionis, quando pars chlamydis ſic extitit pretioſa? Et quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate veſtis exiguæ, & veſtire Deum meruit, & videre. Oh animi imitanda benignitas. Oh virtutum veneranda potentia. Sic egit ſuſcepti Pontificatus offitium, ut per formam laudabilis vitæ obſervantiam exigeret diſciplinæ. Sic Apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvaret. Hæc tua Domine eſt virtus & gloria &c.

Præcinctorium, *ſubcingulum*, *ſubcinctorium* ex Gemma lib. 1. cap. 26. recenſetur inter Pontificalia indumenta poſt cingulum, eoque in Eccleſia Latina nullus utitur, niſi ſolus Papa ſolemniter celebrans, & eſt inſtar parvi manipuli ſiniſtro latere pendens.

Præſanctificata. V. Miſſa Præſanctificatorum.

Presbyterium: Pars chori interior ante majus

Al-

Altare. Sumitur etiam pro cœtu, ſeu conventu Sacerdotum. *Presbyterii noſtri copiam glorioſis Sacerdotibus exornaret*. Cyprianus epiſt. 35. & epiſt. 46. *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium*.

Primicerius, Eccleſiaſtica dignitas. Hæc vox tamen ſtricte accepta ſignificat caput, ſeu primum cujuſcumque ordinis. Legitur enim *Primicerium Cantorum*; *Lectorum*, *&c.*

Proceſſio nigra dicebatur illa, quæ fiebat in triduo Rogationum: tunc enim cooperiebantur Altaria velis nigris, & Miniſtri nigra inducebant veſtimenta, quem ritum adhuc Eccleſia Mediolan. retinet: Magri.

Proceſſio in Pſalmis. Proceſſio, quæ ritu Ambroſ. fiebat in pervigiliis SS. Gervaſii, & Protaſii, & Ambroſii: Puricellus loc.cit. pag. 1153.

Item teſtatur ſe multotiens per longum tempus interfuiſſe Proceſſioni, quæ fit in Pſalmis.

Proclauſin Græce, Latine fletus, Pœnitentium prima ſtatio.

Pronus, *Prona*, *Pronum*. Erant trabes, ſeu candelabra per Eccleſiæ tranſverſum, ſeu circuitum diſpoſita, ſuper quæ cerei accendebantur. Martene lib. 3. cap. 13. loquens de ritibus in Cœna Domini, ait: *Hujuſmodi cereos accendebant per modum pyramidis ante S. Altare. Floriacenſes ſu-*

per pronas : Corbejenses sparsim per omnem Ecclesiam . Et lib. 4. cap. 3. *Omnis Rota*, *& duodecim lampades lampadarii debent accendi . In circuitu Chori accendentur sexaginta quatuor cerei , & tres ad pronos* .

Prophetalis versus qui de Prophetis sumitur, vel post lectas Prophetias canitur.

Prophetæa, Ecclesiæ, quæ in memoriam Prophetarum erigebantur. Theodorus Lector lib. 1. *Reliquiæ S. Samuelis in ejus Prophetæo sunt positæ* .

Propitiatorium, locus altari vicinior, cancellis munitus, qui solis Sacerdotibus ac ministris tempore Sacrificii patebat.

Prosa, dicta etiam, *Jubilatio*, & *sequentia*. Prosa, vel quod alii Sequentiam vocant, non cantatur, nisi in quinque festis principalibus.

Prosecutoria apud Græcos appellantur illæ Ecclesiæ, quas Latini Oratoria vocant.

Prosphora . Latine *Oblatio* : Euseb. Cæsarien. lib. 6. histor. Eccl. c. 43. *Prosphora facta portionem singulis dividens , dum eam tradit , miseros homines benedictionis loco juvare cogit* .

Prostratio, *Prostrati*. SS. Gregorius Neocæsarien. Basilius M. aliique veteres PP. inter quatuor Pœnitentium stationes *Prostrationem* nominant. *Prostratos autem* idem Gregorius sub Audientium appellatione compræhendit: istosque omnes cum catechu-

me-

menis ante offertorium docet foras expelli.

Protcleſticæ, *Orationes*. Sunt orationes præparatoriæ ante Miſſam dicendæ: Græci enim Sacrificium vocant *Teleten*, Hujuſmodi eſt illa celeberrima S. Ambroſii , quæ incipit, *Summe Sacerdos*, quam quidam contra fidem veterum Codicum, ut notat Card. Bona, Anſelmo Cantuarien: adſcribunt.

Protheſis, Altare parvum, in quo Græci præparant panem, & vinum pro Sacrificio, multis adhibitis cæremoniis.

Pſallenda in ritu Ambroſiano eſt illa Antiphona quæ ad laudes, & horas cantari ſolet.

Pſallentia, Pſalmorum cantus, ſeu ordo. *Peto etiam charitatem tuam, ut ſicut a Rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti, Græcorum Pſallentiam ad nos dirigere tua fraternitas dignetur.* Damaſus PP. Hyeronymo ſcribens.

Pſallentium pſallentii. Copia Pſalmorum ſeu multitudo cantantium. In vita S. Galli. *Igitur exinde cum multo Pſallentio in civitatem ſuſcipitur*. Et S. Gregor. Turonen. l. 9. c. 10. *Cum honore debito, grandique pſallentio in Monaſterio locarentur*.

Pſalmellus, Ex Rubr. Miſſalis Ambroſiani eſt ille ℣. Pſalmi, qui poſt lectionem dicitur loco Gradualis,

Pſalmiſta, ex Concil. Tolet. *Cantor*, apud Græcos, Pſaltes. S. Iſidorus. *Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi, dicere benedictio-*

dictiones, *psalmos Laudes*. ℟. *Et quidquid pertinet ad canendi sapientiam*.

Psalmi familiares, qui apud Monachos in fine horarum dicebantur pro Familiaribus. Martene ex pluribus Ritualibus.

Psalmi prostrati, ex cit. Martene in Quadragesima addebantur Familiaribus, & prostrato corpore dicebantur.

Psalmus responsorius, erat ille, cujus singuli versus ab uno cantore præcantati, ab omnibus repetebantur. Martene.

Psalmi plebeii, ideft a particulari persona compositi: quos Concil. Laodien.C.ultimo prohibet. *Quod non oporteat plebejos psalmos canere in Ecclesia*.

Psalmi fortiores, ideft longiores. S. P. Benedictus Reg. c. 17.

Psichia apud Græcos significat parvam illam lineam pallam, qua latini Calicem operiunt.

Puer, *Pueri*, Pueros olim cantasse in Ecclesia patet ex Venantio Fortunato, sic loquente.

Hinc puer exiguis attemperat organa cannis.
Inde senex largam ructat ab ore tubam.
Tympana rauca senum puerilis fistula mulcet.
Atque hominum reparant verba canora lyram.

Pugillares, erant Fistulæ illæ, quibus hauriebatur Sanguis Christi è Calice, dictæ & *Syphon.* Ordo Romanus: *Deinde Archidiaconus tradit calicem Subdiacono, qui tradit*

dit ei pagillarem, cum quo confirmat [ideſt communicat] *populum*.

Pulpitus, Locus, ex quo habentur conciones, leguntur Evangelia, lectiones, promulgantur Decreta &c. S. Cyprianus epiſt. 34. *Quid aliud ſuper pulpitum, ideſt ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris dignitate ſubnixus*. V. *Ambo*.

Pulvillus, lectorile, Pulvinus, *Cuſcino*, ſeu velum oblongum, quo cooperiebatur Pulpitus, ſive Ambo, ex quo Evangelium cantabatur. *Subdiaconus verò ſi dies feſtus eſt, præcedens portat pulvillum, & ponit ſuper analogium. Converſus pulvillum cum analogio incenſat cum uno tantum ſigno Crucis, ac Diaconus Textum de ſuper ponit, & Evangelium inchoat*. Martene l. 2. c. 4. & infra *Subdiacono eundem* [*textum*] *utraque manu circumferente ſuper cuſſinum*.

Purificatorium linteus, quo Calix abſtergitur, hunc autem Monachi appenſum tenebant in cornu Epiſtolæ cujuſque altaris.

Q

Q*uadrageſima* olim communiter dicebatur una major, altera minor. Hæc pro Eccleſiarum diverſitate incipiebat a Feſto S. Martini, uſque ad Domini Nativitatem, ideoque & Quadrageſima S. Martini dicebatur, incipiens diebus 40. ante Nativitatem. Major autem, dicta etiam

Jeju-

Jejunium magnum, a feria quarta Cinerum exordium sumebat apud varias Ecclesias. Dixi apud *Varias Ecclesias*. Jejunium enim Quadragesimale, non fuisse inchoatum a feria quarta post Quinquagesimam an. 517. nundum enim hic mos invaluerat sub exordiis S. Gregoriis M., aperte probatur ex ejusdem Gregorii homil. 4. in Evang. quam ad hujus rei probationem profert & Amalarius lib. 1. de offic. c. 7. Probabile tamen est eumdem Gregorium sub vitæ finem constituisse, ut a fer. 4. post Quinquagesimam jejunium inchoaretur, ut patet ex ipsius S. Gregorii Sacramentario, licet nonnulli suspicentur hanc esse laciniam Sacramentario Gregorii assutam, ut notat Cabasutius in notit. Eccl. in Notis ad Concil. Aurelianen. 1. Ritu Ambrosiano jejunium initium sumit a feria II. post Dominicam dictam. *In capite Quadragesimæ*. Dominicæ porro Quadragesimæ eodem ritu denominationem sumunt ab Evangelio, quod in eo die in Missa legitur. Dominica secunda dicitur *De Sammaritana*, in ea enim legitur Evangelium mulieris Sammaritanæ. Tertia de *Abraham* in ea enim legitur Evang. Joannis c. 8. *Dicebat Jesus ad eos &c.* usque ad illa. *Exivit de Templo* hoc enim in Evangelio pluries de Abraham fit mentio. Quarta nuncupatur *de Cæco* ob Evangelium cæci nati, quod recitatur.

tur. Quinta de *Lazaro*, ab historia ejusdem resuscitati, cujus mentio fit in Evangelio. Sexta *Dominica Palmarum*.

Quasella, apud Martene l.3.c.6. parag.27. Ritus in die Epiphaniæ observandos præscribens, hæc habet. *Hora igitur cantata induant omnes Cappas a Cantore sibi ministratas, stantibus interim ministris ante altare majus cum aqua benedicta, Cruce candelabris, thuribulo uno, Diacono cum quasella eburnea. Thurificet Abbas altaria, deinde Textum, & gestandas Reliquias &c.* Quasella igitur eburnea nihil aliud erat, nisi theca seu cistula, in qua portandæ reliquiæ recondebantur. Quasillus enim, sive Quasillum significat cistam, seu vasculum illud, in quo reponebantur ea quæ ad Lanificium spectant.

Quinquagesima sic dicta, ex eo enim die usque ad Pascha, quinquaginta dies decurrunt. Ordo Romanus. *Quinquagesima vero, quæ decurrit usque in diem Sanctum Resurrectionis.*

Quinquagesima. quoque accipitur pro illis diebus, qui mediant inter Pascha, & Pentecostes. *Non igitur jejunamus in Quinquagesima, quia in his diebus nobiscum Dominus conmmoratur* S. Ambrosius Serm. 61. *per hos quinquaginta dies nobis est jugis & continuata festivitas, itaut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jeju-*

jejunia, neque ad exorandum Deum genibus inclinamus. Idem Ambrosius relatus distinc.76. can.8,

R

Rastrum, Instrumentum quodam dentatum, ut plurimum ferreum, super quod candelæ in Ecclesia poni solent. Ordin. Tullens. apud Martene l.3. c.20. *Ad hanc Nonam quinque Lampades in Lampario accendantur, & septem cerei in rastro & Cereus Paschalis, qui post debet auferri a Sacrista*.

Ramolivæ dies. V. *Dies Ramolivæ*.

Receptaculum: vas illud quod ponitur ad Ecclesiarum ingressum, & in quo adservatur aqua Benedicta, ut fideles ingredientes ea se aspergant, & signent. *Rediens autem de officinis si quid superest ei de ipsa aqua infundat in receptaculum, quod est ad introitum Ecclesiæ ad hoc deputatum*. Liber usuum Cistercien.

Receptorium, Sacrarium, seu locus alius, in quo indumenta, vasaque sacra reconduntur. Sidonius lib.5. epist. 17. *Et nuntiatum est progredi Episcopum de Receptorio*. Ad sacrum scilicet faciendum.

Reclinatorium Cancellus brevior inter Ciborii columnas, ubi Diaconi, Subdiaconi, aliique communicabant.

Re-

Regia, Janua, ſeu Porta major Eccleſiæ, Puricellus loc. cit. p. 1098. *Si Abbas & Monachi recipiant Ordinarios ad Regias S. Satyri, cum incenſo, & aqua ſancta... Monachi S. Ambroſii recipiant Ordinarios ad januas illarum Eccleſiarum cum incenſo &c.*

Regiæ Virgæ. Martene l.3. c.4. *Poſt Proceſſionem aſſiſtant tres Cantores in choro regias virgas in manibus tenentes*. Et c. 16. *Archicantor & duo ſocii ejus aſſiſtentes in choro regias virgas in manibus tenentes incipiant officium.* Has regias virgas nihil aliud fuiſſe arbitror, niſi baculum quemdam, quarum uſus adhuc viget Mediolani, in Metropolitana enim Dignitate, Cæremoniarum Magiſter, & alii: ſicut & Præpoſiti Baſilicarum, & Collegiatarum, baculum ligneum, in ſummitate globum argenteum habentem deferunt in Proceſſionibus, & aliis functionibus.

Reja, *Rengus*. Gallice *une raje*, *Rang*. Linea, ordo: *Omnes illi, qui in reja ſtant, quando privatis diebus reveſtiuntur ad Epiſtolam, ſive ad Evangelium, vel ad quodlibet altaris offitium, non ideo mutant ſtationem rejæ. Dum in albis eſt ultimus ſtet in reja*. Liber uſuum Becenſium. Et Rituale Corbejæ apud Martene l.5. c. 5. n.40. *Debent etiam eſſe de rengo, ante prædictum gradum, ſecundum tempus, quo fuerunt induti*.

Repræſentatio corporis Tumulus ille, qui ponitur

tur in Ecclesiis in Defunctorum anniversariis, seu exequiis, & Castrum doloris vocatur. *Item sciendum, quod quando corpus præsens, vel repræsentatio feretri ponitur.* Et infra. *Quod si aliquis Religiosus obierit & ipsius corpus non fuerit præsens, in prædictis exequiis & Missa, vel aliquod feretrum vacuum repræsentans corpus ipsius, tam in prædictis exequiis, quam Missa tunc prædictæ solemnitates non fiunt.* Martene lib. 5. c. 10.

Responsorium: species Ecclesiastici cantus, qui post lectiones canitur, vel recitatur. S. Isidorus lib. 1. Offit. Eccl. c. 8. *Responsoria ab Italis Longo ante tempore sunt reperta, & vocata hoc nomine, quod uno canente, chorus consonando respondet.* Accipitur etiam pro Graduali, quod lecta Epistola Chorus cantat. Cassander in expositione ordinis Romani in Liturg. c. 21. *Responsorium, quod ad Missam dicitur, pro distinctione aliorum, Graduale vocatur, quia hoc psallitur in gradibus.* Dicitur etiam *Responsum, Responsus.*

Responsorium Orationis, Responsorium exhortationis, ex Regula Magistri cap. 21. Psalmus 94. *Venite exultemus Domino.*

Responsoria Ambrosiana quorum frequens mentio in ritibus Monasticis ut apud Martene: ex MS. S. Martialis Lemovicen. Nonis Aprilis. *Hic incipiunt parva responsoria,*

quæ

quæ dicuntur Ambrosiana. Et lib.3. c. 26. *A Pascha usque ad Calendas Septembris erit ℟. Ambrosiorum*. Et alibi: *Quartum erit Ambrosianum de pluribus Apostolis. Cum vero ad Laudes, vel Vesperas cantat aliquis eorum Responsorium Ambrosianum &c.*

Resurrectio. Lectio S. Evangelii, seu Evangelium agens de Domini Resurrectione, quæ alternis Dominicis variabatur, S. Cæsarius in Regula ad Monachos c.21. *Omni Dominica sex Missas facite. In prima Missa semper Resurrectio legatur. Dum Resurrectio legitur, nullus sedeat*. Et in Regula ad Virgines, cap,69. apud Bolland. 12.Januarii: *Omnibus vero Dominicis ad Vigilias semper Evangelia legantur; sed semper in prima Missa una Resurrectio legatur, altera Dominica, altera Resurrectio: sicque tertia, sicque quarta*. Missarum autem nomine intelligi debent Orationes.

Ripis, Ripidia, Bipidion. Flabellum, Ventilabrum apud Græcos. V. *Flabellum &c.*

Rochetum: Vestis sacra, linea, Cardinalium, & Episcoporum propria, sed & aliis per privilegium concessa, Cæremon. l.1. c.4. *Utuntur croceis obscuris, & subtus parvo caputio supra Rochetum*.

Rogationes: Litaniæ &c. seu Processiones, quæ ritu Romano fiunt in triduo ante Ascensionem Domini, Ambrosiano autem post primam Dominicam proxime sequentem

eamdem Afcenfionem. Harum inftitutorem fuiffe S. Cazurum Mediolani Archiepifcopum, non autem Mamertum Viennenfem Antiftitem ad evidentiam probat Vir Clarifs. Jofephus Saxius in Vitis Archiepifcoporum Mediolanenfium. In aliquibus locis in hifce Proceffionibus portabantur fuper perticas Lupi, & Dracones, feu Serpentes, ad denotandam caufam propter quam inftitutæ fuerint, hoc tantummodo factum legitur: in Gallia tamen: nam in Ambrofianis ritibus nulla eorum fit mentio, fed folum de malis, & preffuris ob imminentes Barbarorum incurfiones. Concilium Aurelianenfe Can. 29. jubet, ut his tribus diebus omnes abftineant, & cibis Quadragefimalibus utantur, quem ritum obfervat adhuc Ambrofiana Diœcefis, & Infula Melitenfis.

Rofa mediana, nuncupatur a Theophylo Raynaudo in tract. de benedictione Rofa illa, quæ benedicebatur a Summo Pontifice in Bafilica S. Crucis in Hierufalem in quarta Dominica Quadragefimæ, ut patet ex fermone Innocentii III. occafione ejufdem benedictionis. Fit autem ex auro puriffimo, & a Sum. Pontif. dono mittitur Regibus, aut Principibus &c.

Rogus Dei, Oratio, five Collecta, fic dicta, quoniam per illam rogatur Deus. Magift. Regul. c. 35. Extra *lectionem verfus*, & *Regus Dei*, & alibi pluries. *Ro-*

Rota, candelabra ferrea, in formam rotæ compacta, super quæ accendebantur candelæ. *Omnis rota, & duodecim lampades lampadarii debent accendi*. Martene l.4. c.3.

Rotula panis: hostiæ, oblatæ. Ivo Monachus de Miraculis S. Othmaris Abbatis cap. 3. *Rotulas panis* vocat oblatas, quæ in ejus sepulchro repertæ sunt.

Ruga, *rugæ*. Sulcus, seu canaliculi, in quibus ponebantur quædam virgulæ *Laudanæ* appellatæ pro Altarium ornatu. *Fecit laudanas duas de argento purissimo pensantes libras octonas, quas posuit supra rugas de Presbyterio &c.* Anastas. in Adriano. Et Ordo Romanus. *Post quos Acoliti, qui rugam conservant.*

S

S*Abbatum Sanctum*. In lib.3. de Gestis Sanctorum Rotonensium, c. 1. vocabatur Dominica Palmarum. Martene loc. cit. lib.3. cap.12. in adnotationibus, seu notis.

Sabbatum in traditione Symboli in Liturgia Ambrosiana appellatur Sabbatum ante Dominicam Palmarum.

Sabbatum vacans olim dictum fuit Sabbatum illud: Summus enim Pontifex vacabat stationibus, & elæemosynas pauperibus distribuebat. Græci Sabbatum Lazari appellant.

Sabbatum mediæ Quadragesimæ; ideſt Sabbatum præcedens Dominicam quartam Quadrageſimæ, alias Dominica *Lætare*. Conſuetud. S. Germani: *Dominica in medio Quadrageſimæ, qua canitur Lætare &c.* Et Conſuetud. Compendienſes: *Sabbato mediæ Quadrageſimæ ſonabit claſſicum, parabitur Eccleſia &c.*

Sacculus, Saccularii. Ordo Romanus deſcribens ritum Miſſæ, poſt datam pacem ante communionem, ait: *Et accedentes Subdiaconi ſequentes cum Acolythis, qui ſacculos ad hæc idoneos portant, a dextris, & a ſiniſtris Altaris. Ipſi ergo Subdiaconi extendentibus Acolythis brachia cum ſacculis ſequentes, a fronte parant ſinus ſacculorum Archidiacono ad ponendum oblationes, prius a dextris, deinde a ſiniſtris*. Saccularii ergo illi erant Acolythi, qui oblationes a Fidelibus acceptas, & in ſacculis repoſitas, ad Altare portabant: ab aliquibus, ſed male, ſacellarii dicti.

Sacculum, ſeu burſa *Mox vero ut Subdiaconus pacem accepit, fiſtulam argenteam, cum qua Sanguis Domini ebibi ſolet, in ſaculo ex panno mundiſſimo ad hoc ipſum facto reconditam, de armariolo Diacono defert &c.*

Sacellarius cuſtos opum Eccleſiæ, Theſaurarius &c. Ordo Romanus. *Poſt equum verò hi ſunt, qui æquitant: Vicedominus, Veſtia-*

ftiarius, *Nomenclator*, *atque Cacellarius*.

Sacellum communiter accipitur pro Oratorio, aut Capella privata, seu domestica, aut pro Altari ex minoribus, in quibus statis diebus Missa fieri debet.

Sacellum quoque sumitur pro Theca, in qua Sanctorum Reliquiæ asservantur. *Dein opposito obtutibus ejus Crucifixi Domini signo, & supra pectus ejus posito, Reliquiarum, ut ipse jusserat Sacello, Congregatio tota inchoavit Litaniæ supplicationes*. Tom. 4. Spicilegii ex Hariulphi Chronico lib. 4. cap. 35.

Sacerdotale: res ad Sacerdotem pertinens, ut habitus, seu indumentum Sacerdotale, Benedictio Sacerdotalis &c. vel etiam liber, in quo continentur ritus & cæremoniæ a Sacerdotibus observandæ.

Sacerdotes mediocres. *Tempore Quadragesimæ Tractus dicitur ab ipsis Cantoribus, & aliis duobus Sacerdotibus mediocribus*. Martene lib.4. cap.1.

Sacerdotium aliquando accipitur pro ordine Sacerdotali, pro Episcopatu, Præbenda, Sacerdotum cœtu &c.

Sacramentarium, hoc titulo prænotatur S.Gregorii Magni liber continens Orationes, & Collectas totius anni in Missa recitandas.

Sacrarium: locus Altari vicinior, cancellis circumdatus, ad quem Sacrificii tempore

 solis

solis sacris Ministris patebat accessus, dictus & Propitiatorium. *Sacrarium solis Sacerdotibus pervium est, aliis omnibus inaccessum*. S. Ambrosius.

Sacrificium, multipliciter sumi potest; primo pro tota Missæ actione. Pro omnibus laudibus, quæ Deo dantur, juxta illud *Sacrificium laudis honorificabit me*. Pro dolore de peccatis, & dicitur *Sacrificium contriti cordis*. Pro toto divino Offitio, ut ex S. Fructuoso Regul. cap. 5. *Gallicinio jam sonante recitatis tribus Psalmis Laude, & benedictione sua, Matutinum celebrent Sacrificium*. In benedictione quoque Cerei legitur *Suscipe Sancte Pater incensi hujus Sacrificium vespertinum &c.* idest Sacrificum laudis, oblationis &c.

In Missa Mozarabum *Sacrificium* significat illam Orationem, quæ dicitur post illa verba *in spiritu humilitatis &c.*

Sacrista, Custos Sacrarii. *Dicto Completorio, cum clausisset Oratorium, erat enim Sacrista &c.* Cæsarius l. 1. c. 35.

Sacro, *Sacrare*, Benedicere. *De hinc procedant ad Sacrandum ignem . . . . Sacrato igne proiiciat Sacerdos aquam benedictam super eum*. Lanfrancus in statutis.

Sal, Salis benedictio antiquissima est, ut patet. *Omni Dominica, cum aqua benedicta fit, unus eorum de sale servit, & quod restat, por-*

portat ad processionem. Usus Beccenses. Vas autem illud *Salarium* dicebatur, & ex Cluniacensibus argenteum erat. *Redditque infanti scutellam argenteam sale vacuatam*. Sal autem olim dabatur Catechumenis, ut ex Augustino l. 1. Confess. cap. 11. *Signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale*. Concil. Cartagin. tertium, can. 5. *Placuit ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum Sal*. Capitularia quoque Caroli Magni lib. 7. c. 190. præcipiunt ut in Paschate Sacramentum catechumenis non detur, *sed tantum benedictum sal a Sacerdotibus pro communione tribuatur*.

Salutare altare, ipsum osculari. *Mox Pontifex salutat altare, & suscipit Oblatas*. Ordo Roman.

Salutare populum, idest dicere *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*. Et hæc salutatio Sacerdotalis dicitur. Petrus Damianus in opusculo *Dominus vobiscum*, c. 4. *Sacerdotalis autem salutatio idcirco fit in Ecclesia, ut se Sacerdos pacem habere cum tota plebe fidelium doceat*.

S*alutatorium*, locus, in quo Episcopus ante Missam sedebat, & fidelium salutationes excipiebat, qui se illius precibus commendabant &c. S. Gregorius M. l. 4. ep. 54. usum Pallii præscribens Mariniano Ravennæ Antistiti, ait: *Quo non aliter uti memineris*

nisi in propria tua civitatis Ecclesia, dimissis jam filiis, procedens a salutatorio ad sacra Missarum solemnia celebranda: peractis verò Missis idem in salutatorio curabis deponere.

Sancta, Hostia consecrata. Ordin. Corbejen. de fer. 6. in Parasceve. *Sequatur libera nos quæsumus Domine: cum dixerint* Amen. *sumat de Sancta, & ponat in calice nihil dicens, & communicant omnes . . . sumit de Sancta, & dimittit in calicem, sanctificaturque vinum non consecratum per panem sanctificatum.*

Sancta Sanctis ex Liturgia Basilii exclamat Pontifex Mysterium peracturus: cujus formulæ meminit Chrysost. homil. 17. in Epist. ad Hebr. *Vox illa in nostras aures incurrens alios quidem repellit, & ejicit; alios autem introducit & sistit: nam quando dicit Sancta Sanctis, hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat.* Olim & ante communionem Diaconus clamabat: *Sancta Sanctis.*

Sancta Sanctorum: Pars interior Presbyterii, & tabernaculo vicinior. Consuetud. Corbejen. *Interim Domnus Abbas, & Priores, & socii Abbatis succincti mundent infra Sancta Sanctorum . . . Post processionem ascendant juxta Sancta Sanctorum quidam bene cantantes accedant fratres, quos prævideritArchicantor infra Sancta Sanctorum.*

San-

Sanctifico, Benedico: *Ante Tertiam sanctificet Sacerdos aquam: deinde faciat cum cruce, & aqua benedicta processionem &c.* Ordin. S. Petri supra Divam.

Sanctuarium, rigorose est ea pars Ecclesiæ, quam Presbyterium appellamus. Porrò Sanctuarium cancellis interjectis a reliqua Ecclesia dividebatur, & in ejus meditullio erat altare. *Locus erat Sanctuarii in speciem quadratam, columnis sublimibus undique circumseptus, quarum media intervalla interstitiis ex ligno instar retis, aut transennæ cancellatis, in mediocrem, & æquabilem longitudinem circumclusa &c.* Euseb. Cæsarien. l. 10. histor. Eccles.

Sanctuaria etiam vocabantur Sanctorum Reliquiæ.

Cantor præparabit Sanctuaria ad majus altare. Post Tertiam Abbas incensabit majus altare, & Sanctuaria &c. Martene l. 4. c. 8. Et S. Gregorius lib. 9. Epist. 72. *Opportunus Abbas Monasterii S. Leontii, quod in quinto Vrbis milliario situm est, Sanctuaria ejusdem Martyris, quæ de Ecclesia nomini ipsius dicata, ut astruit, furto sublata sunt, sibi denuo postulat debere concedi.*

Sanctuaria etiam nuncupabantur quædam vela, quibus Sanctorum reliquiæ tangebantur, & veluti donum pretiosum à summis Pontificibus mittebantur. Baronius in notis ad Martyrol. 15. Julii. *Vnde si Beatitudini vestræ*

ſtræ videtur, Sanctuaria Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſecundum morem, ei largiri præcipite. In Conſuetud. S. Cornelii Compendien. Sanctuarium erat Sudarium, ſeu linteum ſacrum, quo Chriſti Corpus fuit in ſepulcro involutum: *Omnes ſint in albis, & fiat proceſſio, & deferatur Canctuarium &c.* V. Martene l.3. c.11. Sanctuarium altaris ex Rives erat velum, quo velabatur altare ne eſſet conſpicuum.

Sandalia. V. Caliga, Compagi, Pedules.

Sandalium, bis repetitam hanc vocem *Sandalium* lego apud Puricellum Mon. Baſil. Ambroſ. primò quidem pag. 509. ubi referens privilegium conceſſum a Paſchali II. Abbati Monaſterii S. Ambroſii anno 1103. xvi. Calend. Martii, Indictione decima, inter alia legitur. *Concedimus tibi, tuiſque ſucceſſoribus quicquid de uſu Dalmaticæ, Sandalium, nec non chirothecarum, & licentiam ferendi tintinabulum capellæ &c.* Secundo autem pag. 998. ubi ex Catalogo Archiepiſc. Mediolanenſium referens adventum in hanc urbem S. Galdini Cardin. Archiepiſcopi anno 1167. quinta Septembris, hæc habet: *Mediolanum venit, & in Monaſterio Claræ vallis moram traxit, ubi a Mediolanenſibus paratum equum Sandalio coopertum aſcendit; & inde ad Eccleſiam B. Ambroſii; poſtea ad Eccleſiam majorem Pallium ſuper caput auratum habens, quod*

quod cum quatuor hastis a Confanoneriis portabatur. Hic Sandalium nil aliud significat, nisi pannum, seu linteum sericum vulgo *Zendale*, *Zendado*, quo equus & Baldachinum cooperiebatur. Primo autem loco Sandalis nomine veniunt illa ornamenta Pontificalia, ut patet.

Sandapila, Lectica, seu feretri genus, quo defunctorum cadavera efferuntur. Hinc Sadapilarii, qui ea efferebant. Hos profana antiquitas *Pollinctores* vocabat. *Laborantes* autem dicuntur ab Ignatio in epist. ad Antiochenos, & horum versabatur offitium in fidelium defunctorum efferendis cadaveribus, ut ex Epiphanio in Compendio: erat autem Offitii nomen, non ordinis: alio nomine *Fossores*, *& Fossarii* dicti.

Sarmentum, Virgulæ supervacuæ a vite abscissæ. *Palmæ anteriori anno benedictæ reservantur propter cineres faciendos anno sequenti; licet quidam faciant de Sarmento vitis*. Consuet. Grandimonten.

Scevophylax, Custos vasorum sacrorum, alias *Cimiliarcha*.

Scevophilacium, *Scevophilacion*. Sacrarium, seu locus, ubi vasa sacra conservantur.

Scella, *Scilla*, *Schilla*, Campana. *Ibi quondam pendebat vas fusile, mediocris videlicet ponderis. Vulgaris hoc usus scellam nominat, quod miræ sonoritatis dulcedine audientium sensus afficiebat*. In act. S. Priminii Episc.

Scho-

Schola, Univerſitas, Cœtus, Conventus &c. *Pſalmodiis dediti facies ſuas, uti mos eſt, lavent: Schola univerſa, cum magiſtro, & Abbate*. Concordia Dunſtani, c. 1.

Schola Cantorum, univerſitas Cantorum, ſeu collegium, in quo pueri informabantur ad cantum eccleſiaſticum, cujus Scholæ, ſeu collegii caput Primicerius Cantorum vocabatur.

Schola S. *Ambroſii* cujus frequens mentio in ritibus &c. Mediolanenſis Eccleſiæ, Veglones & Vegloniſſæ, ſeu ſenes, queis inter reliqua incombit panem, & vinum offerre in Miſſa ſolemni.

Scholarum Magiſtri. Infantes, cum eorum Magiſtro. Martene pluribus in locis.

Schola Virgariorum Collegium Cantorum, ideo ſic dictum, quia virgas in manibus ferebant. Magri.

Sconſa, *Abſconſa*: Laterna cœca, quia in ipſa lumen abſcondebatur.

Scotula, inſtrumentum pro ſubſtinenda candela, vulgo *Bugia*.

Sciniarius cuſtos Archivii, ſeu ſcrinii, in quo conſervantur ſcripturæ ad Eccleſiam ſpectantes. *Scriptum per manus Benedicti Notarii Regionarii, ſcriniarii*. Epiſt.Sergii IV.

Scrinium, Theca, Arca, &c. Conſuetud.S.Benigni *Scrinia quædam cum Reliquiis Sanctorum*.

Scriptani, *ſeu Scriptanes*, Puricell. Mon. Baſ. Am-

Ambrof. pag. 369. refert Teftamentum Ariberti Archiep. Mediol. confectum anno 1034. in quo Scriptanes hos nullos alios arbitror esse, nisi Scriptores, seu Notarios, qui Testamentum receperunt, rogaverunt, aliaque necessaria præstiterunt.

Scrutinium, Examen, quo catechumeni de fidei Mysteriis interrogabantur Quadragesimæ tempore, ut possent Sabbato Sancto admitti ad baptismum. Hoc autem scrutinium fiebat septies, ut ex Albino de Divin. Offit. c. 19.

Neque hoc ommittendum est, quod Romani infra Quadragesimam sex scrutinia celebrant, & hodie septimum, in isto septenario intelliguntur dona Sancti Spiritus in baptismate data.

Scurolum, Locus ut plurimum subterraneus, & obscurus, sub quo, vel in quo conservantur, seu custodiuntur Corpora Sanctorum, vel Reliquiæ alias Confessio. Nomen usitatam etiam apud nostrates tam in Testamentis, quam aliis Scripturis tum publicis, tum privatis.

Scurolum etiam licet improprie dicitur locus ille, in quo Fer. quinta in Cœna Domini reponitur SS. Sacramentum.

Scutella, Discus, seu pelvis, patenæ similis, sed magis cava, quæ supponebatur ori communicantium. *Debent autem singuli ita se scutellæ adjungere, ut si forte inter sumen-*

ſumendum Corpus Domini aliquando vel de ore ſumentis, vel de manu porrigentis lapſum fuerit, niſi in ſcutellam cadere poſſit. Martene l.2. c.5.

Scutellarum nomine etiam veniunt apud cit. Martene l.5.c.5. Thecæ, ſeu Reliquiæ. *Duo Secretariorum alter in dextro Choro alter in ſiniſtro in ſcutellis tenent Philacteria.*

Scyphus, vas ſacrum, in quo ponebatur vinum in Miſſa oblatum, Ordo Romanus.

Secretarium: Sacrarium, Vulgo Sacriſtia In vitis Pontificum paſſim legitur eos ſepultos prope *Secretarium*. Fortunatus in vita S.Radegundis. *Intrans in Secretarium Monachæ veſtem induit.*

Secretum Miſſæ. Canon, ſeu Actio Miſſæ. *Quia ſecretum Miſſæ frequentur invenitur aut ſcriptorum falſitate, aut librorum vetuſtate corruptum, ita ut diſtincte legi non poſſit, Archidiaconorum ſollicitudo provideat, ut in ſingulis Eccleſiis ad verum, & probatum exemplar Canon Miſſæ cum omni diligentia corrigatur.* Concil. Eboracen.

Semanteria apud Græcos ſunt illa ſigna, quorum pulſatione fideles ad Synaxim vocantur.

Senatorium. Chorus inferior. *Deſcendit deinde Celebrans ad ingreſſum Senatorii, ſeu chori inferioris*. Rubr. Miſſal. Ambroſ.

Senatus Cleri, ſeu Presbyterium, aut Presbyterorum collegium, ſeu Cætus & univerſitas.

ſitas. *Facto igitur Presbyterio conſtitit doctrina noſtra, ideſt legi Chriſtianæ eſſe contraria: unde omnium noſtrum tam Presbyterorum, & Diaconorum, quam totius etiam Cleri una lata fuit ſententia &c.* S. Hieronymus Cleri Romani Senatum vocat.

Seniores ideſt Presbyteri. Tertullian. Apolog. c.39. de Conventibus Chriſtianorum, ait. *Præſident probati quique* Seniores, & S. Gregorius M. lib. 11. epiſt. 49. ad Joannem Panormitanum Epiſt. *Tabellarium una cum conſenſu Seniorum, & Cleri, memineris eſſe ordinandum.*

Septimana Reſurrectionis Septimana major vocatur ab Udalrico lib. 1. c. 6.

Sepulcrum, Locus in quo defunctorum corpora humantur, ſeu ſepeliuntur.

Sepulcrum quoque communiter vocatur locus ille, in quo Fer. quinta in Cœna Domini poſt Miſſam reconditur SS. Sacramentum. Hunc ritum antiquiſſimum eſſe colligitur ex Concordia Dunſtani. *Quia eo die* (Paraſceves) *Depoſitionem Corporis Salvatoris noſtri celebramus, uſum quorumdam Religioſorum imitabilem ad fidem indocti vulgi, & neophytorum corroborandam æquiparando ſequi, ſi ita cui viſum fuerit, vel ſibi taliter placuerit, hoc modo decrevimus. Autem in una parte altaris, quædam aſſimilatio ſepulcri &c.* Et ex ſtatutis Lanfran-

franci: *Expleta Missa* [Fer. quintæ] *fiat oratio Vespertina supra formas. Interea Sacerdos præcedente Processione cum altare venit, vadat ad locum constitutum, decenter ornatum, ibique reponat Corpus Domini incensato ipso loco ante repositionem, & post repositionem.*

Sequentia Rythmus ille, qui ritu Romano post Epistolam in aliquibus solemnitatibus canitur. Radulph. Tungren. proposit. 23. & Guibertus Tornacen. lib. de Offic. de Episc. c.23. *Quando sequentia dicitur, posterius Alleluja non habet pleuma: sed chorus loco ejus sequentiam concinit.* Ritus Ambrosianus omnes excludit sequentias.

Serpens, *Serpentes*. Serpentes, lupósque fuisse portatos in processione Rogationum, jam vidimus, & nunc iterum serpentis mentio occurrit ex Dunstani Concordia, præscribente ritus servandos in Cœna Domini. *Hora congrua agatur Nona, qua cantata, ob arcanum cujusdam mysterii inditium, si ita placuerit, induant se fratres, & pergant ad ostium Ecclesiæ ferentes hastam cum Imagine Serpentis, ibique ignis de silice excutiatur. Illo benedicto ab Abbate, Candela quæ in ore Serpentis infixa est, ab illo accendatur &c.*

Servitium sumitur aliquando pro offitii recitatione, *de Servitio S. Mariæ, in quo reddendo tenetur quilibet, continua devotione studeat*

deat frequentare. Martene l. 1. c. 13. & l. 4. cap. 6.

Si autem Dominica dies in ipsa occurrerit, servitium integre fiat de ipsa Dominica. Et Ordin. S. Petri super Divam. *Hæc igitur Dominica*, (ideſt ſecunda Quadrageſimæ) *& aliæ, quæ ſequuntur, ſuum plene habent ſervitium, nec carebunt ſuis utriſque Veſperis.*

Sigillum. Card. Bona lib. 2. Rer. Liturg. cap. 1. loquens de Græcorum Liturgia. *Eſt autem ſigillum Crucis effigies pani inpreſſa. Poſt hæc ſcindit ipſum ſigillum in partes, & ponit in diſco, & attollit, addetque incenſum.*

Signum Campana, Eulogius Martyr in Apologetico. *Per idem tempus graviter in nos præſidialis graſſabatur inſania, itaut excelſa pinnaculorum proſterneret, quæ ſignorum geſtamina erant ad conventum Canonicum quotidie Chriſticolis innuendum.* Uſus Beccenſes. *Quando viſitandus eſt infirmus, ſonet majus ſignum, & conveniunt fratres in chorum*. S. P. Benedictus reg. c. 43. *Mox ut auditum fuerit ſignum, relictis omnibus &c.*

Sindon, In ordine Romano jubetur Acolithis, ut ſindonem in collo ligatam habeant, & ne abſque ſindone, & ſacculis procedant. Ea autem utebantur, ne vaſa ſacra nudis manibus tangerent. Sindon tamen com-

munius significat linteum, seu pannum lineum quo teguntur altaria, alias Tobalea.

Siphon, Fistula, seu canna avrea, vel argentea, qua Sanguis Christi olim e calice hauriebatur. Anastasius in Adriano. *Obtulit calicem majorem, cum siphone.*

Situla Situlus, Vas liquida continens. *Primus ex Conversis unus, cum situla aquæ benedictæ.* Martene l. 5. c. 8. ex statutis Lanfranci, c. 4. & Rituale Corbejæ: *Debent etiam esse ibi aqua benedicta in situlo, cum hysopo &c.*

Skella, Campana, Puricell. loc. cit. pag. 570. *Skella vero, quæ a Monachis fracta est, ejusdem ponderis, & quantitatis, in eodem loco intra claustrum Canonicæ ponetur, & restituatur, & nullam aliam skellam, vel tintinabulum habeant.*

Solea, erat locus in Ecclesia Amboni & Sanctuario intermedius, quo ad sumendam Eucharistiam procedebant Laici, & Clerici, qui ob aliquam culpam ad communionem Laicam fuerant redacti.

Sorores. Tullense Ordin. agens de Ritibus Festi Purificationis B. M. *Interim sacrista incipit a destro choro a superioribus, & socius suus a sinistro cereos fratribus, & Conversis, & sororibus quoque, & extraneis si affuerint, distribuendo.* Et alibi, *Hac die* [Paschæ] *Diaconus tot hostias conservandas apponat, ut in ipsa die fratribus, qui non*

non communicaverunt, Converſis & ſororibus ſacra communio ſufficiat.

Sparſorium : Aſperſorium, aſpergillum &c. Conſuetud. Cluniacen. *Cruce interim in clauſtro, cum aqua benedicta, ex una parte ligni pendente ſparſorio, exaltata. Sacerdos ſparſorium primo inde abſtrahit : Cantore imponente antiphonam, ſumat Sacerdos ſparſorium &c.* Martene l. 2. c. 3.

Spongia utuntur Græci ad abſtergendum calicem, & diſcum in Sacrificio incruento, quia Sacrificii cruenti a Chriſto oblati pars fuit, & inſtrumentum.

Squilla, *Scilla &c.* Campanula. *Cum appropinquaverit tempus horæ tertiæ, pulſetur modice ſignum minimum, ſquillam dictum.* Martene.

Stallum, *Stallium*. Locus cujuſque Clerici in choro, juxta dignitatem & ordinem unicuique convenientem. *Intravit chorum uterque, ſtante Priore in ſtallo ſuo.* Cæſarius lib. 1. c. 6. & lib. 5. c. 5. *Vidit duos dæmones juxta presbyterium intrare, & paulatim aſcendere ad Stallum Abbatis.*

Statio, apud Scriptores Eccleſiaſticos ſignificat moram, ſeu tempus illud, quo fideles certis diebus ſtabant in Eccleſia. Hæ ſtationes jejuniorum diebus fiebant : unde ſolvere ſtationem, idem erat ac ſolvere jejunium : Iſidorus lib. 6. c. ult. Etymol. *Diſcernunt autem quidam inter jejunium, & ſtatio-*

tionem: nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem; statio autem est observatio statutorum dierum, vel temporum, ut quartæ, & sextæ feriæ, vel Quadragesimæ. Et S. Ambrosius Serm. 36. *Stationes vocantur jejunia, quod stantes, & commorantes in eis, inimicorum insidias reppellimus*. Nunc vero Stationum nomine veniunt indulgentiæ illæ, quæ certas Ecclesias visitantibus conceduntur.

Sticharium, indumentum sacrum, quo Græci loco Albæ utuntur. Simeon Thessalonicen. *Sticharium lucidi vestitus Angelorum imitamen est*.

Stola, Indumentum sacrum Presbyterorum & Diaconorum. Conc. Triburiense apud Gratianum. *Presbyteri non vadant nisi stola, vel orario induti*. Stolam quoque vocatum fuisse Pallium Archiepiscopale lego apud Puricellum loc. cit. pag. 489.

Subcingulum, *Subcinctorium*, inter vestes sacras numeratur ab Honorio lib. 1. Gemma, c. 206. sed hodie nullus eo utitur, nisi Romanus Pontifex, cum solemniter celebrat, estque instar parvi manipuli, e sinistro latere pendens.

Subdiaconus: Ordo nunc Sacer. De ejus antiquitatæ, muneribus, obligationibus legendi Morinus, Cabasutius, & alii Theologi.

logi. Hic solum referre placet, quod scribit Gualvaneus Flamma in Chronico majori, ex Puricello loc. cit. cap. 299. sequ. *Data itaque tali sententia, ad Ecclesiam S. Ambrosii cum Episcopis, & Baronibus supradictis, Otthonem Regem introduxit, & Coronam præparavit. Tum Ottho omnes regias vestes deposuit, & vestes sacras Subdiaconi induit, scilicet strictum cum manipulo*. Quid autem significet strictum, vide infra verbo *Subtile* & in Manipulo Florum. *Postea stola, & manipulo induitur, erat enim quasi Diaconus*. Sigorius quoque de eodem loquens, ait: *Italiam ingressus, recta Mediolanum adibat: ibi vero condicto die in Ambrosianam ædem procedens, Archiepiscopo rem divinam facienti, regiis depositis vestibus, ac Subdiaconi vestibus sumptis ministrabat*. Anno 973.

***Subtile** subtilis*. Honorius in Gemma lib. 1. cap. 229. duas peculiares vestes tribuit Subdiacono, Tunicam, quam *Subtile* vocat, quia subtilius contexta, & *Sudarium*, seu *Mappulam*, cui successit Manipulus. *Subdiacono prædictæ vestes conceduntur: insuper duæ aliæ, idest subtile, & sudarium. Subtile, quod & stricta Tunica dicitur portat, ut se justitia, quasi lorica induat*. Hinc habes, quid significet ly: *Strictum* superius relatum in Imperatoris

Coronatione ubi vidimus cum habitu Subdiaconi indutum eum *ſtricto*.

Subſtractus, *ſubſtratio*. Synodus Nicœna can. 11. 12. tres diſtinguens pœnitentium claſſes, ſecundam *ſubſtrationem*, ſeu *ſubſtratorum* vocat. At S. Gregorius Niſſenus, & S. Baſilius, qui quatuor numerant, in tertia *proſtratos* collocant, ideſt *ſubſtratos*. Iſti intra Ecclèſiam admittebantur in ea parte, quæ a forium liminibus occurrebat prima; ibique partem eam Miſſæ, quæ Catechumenorum dicebatur, homilias, ac ſermones una cum illis audiebant: ſed ante Offertorium Diaconi voce excludebantur. Hi jejuniis, precibus, humicubationibus affligebantur, & ſingulis in ſynaxibus ſuper illos in genua procumbentes, cum manuum impoſitione fundebantur preces, & hoc per plures annos, donec eorum converſio ſincera cognoſcerentur.

Subſtratorium. Tobalea, ſeu linteum, quo tegitur Altare, ſupra quod duæ aliæ Tobaleæ debent extendi. *Pallæ quæ ſunt in ſubſtratorio in alio vaſe debent lavari*. Sanctus Gregorius in Sacrament.

Succentor, qui Cantoris agit vices. Hugo Decanus S. Mariæ Pariſiorum: *Ablutioni autem, & mandato intereſſe tenebitur ſuccentor Eccleſiæ noſtræ*.

Sudarium, *ſudariolum*. Manipulus, ſeu Sindon linea, brachio ſiniſtro alligata, qua ſudor,

ſudor, & ſordes abſtergebantur. Amalarius lib. 2. cap. 24. *Sudarium ad hoc portamus, ut eo detergamus ſudorem*. Bleſenſ. ſerm. 22. *Sudarium namque, quod & manipulus dicitur, geſtas in læva*. Sudariolum autem idem eſt, ac Purificatorium, apud aliquos.

Suffitio: Incenſatio, S. Dionyſius lib. 2. Eccl. Hierarch. cap. 3. §. 2. *Pontifex precem ſacram ad Altare Dei celebraturus ab ejuſdem ſuffitione initium faciens univerſum circuit chori ambitum, donec ad Altare divinum veniens &c.*

Suffitorium, Thuribulum, ſeu vas, in quo thus variique odores incenduntur.

Suggeſtum, Ambo, Pulpitus, Tribunal &c.

Superſtans. Præfectus Sacrario, ſeu Sacriſta, Puricellus loc. cit. pag. 1113. *Si Dominus Archiepiſcopus ponit ibi ſuperſtantem, etſi non poteſt reficere ſuper ſtans ille Eccleſiam... Ego credo quod ſit ibi ſuperſtes per Dominum Archiepiſcopum*.... Prope Baſilicam S. Stephani Mediolani adhuc viſitur parva domus, ſupra quam lapidi inſculptum eſt *Superſtantiaria*, ſive domus ſuperſtantis Eccleſiæ, ideſt præfecti Sacrario, quod idem eſt ac Sacriſtæ.

Sumptorium. Cochleare, quo miniſtrabatur Euchariſtia, ut moris eſt apud Græcos, *Calicem majorem, cum patena, ſumptorio-*

quæ fecit ex auro. Flodoardus lib. 3. histor. Rhemen. cap. 4.

Superaltare. Lapis consecratus, supra quem celebretur Missa: *Cum superaltare cælato, & Cruce superposita*. Matth. Paris. in vit. Abbat.

Superhumerale. *Post sandalia in Ecclesiæ vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo*. Scriptor de ritib. veter. Eccl. sub nomine Caroli Magni. Vide Amictus.

Superpelliceum. Cotta: vestis sacra cunctis nota.

Supervigilia, dies præcedens vigiliam. Consuetud. Compendien. *In supervigilia Nativitatis Domini vespera & horæ de B. Maria non dicantur*.

Symbolum aliud est Apostolicum, aliud Nicænum, & aliud Constantinopolitanum, & est illud, quod cantatur in Missa: Hoc vero cantari potius, quam Nicænum Patres antiqui instituerunt, non quia musicis modulis aptius sit, sed quia in eo Catholica dogmata clarius exprimuntur, & hæreses omnes eo usque exortæ plenius confutantur.

Synaxis Græce: Latine *Collatio* apud PP. idem significat, ac Missa, quia hæc nos in Christo adunat, & in iis, qui eadem mensa fruuntur, divinam efficit morum similitudi-

tudinem; animum colligens in unum, ac Deo conjungens.

Pachimeres in Paraphr. *Synaxis minime intelligenda est populi congregatio, prout aliqui nunc temporis vocem illam accipiunt, sed cum Deo conjunctio communioque.* Magister tamen in Regul. pro Congregatione accipit; seu conventu;

Systasin Græce: Latine *Consistentia*. Hic erat quartus Pœnitentium gradus, seu statio, in qua pœnitentes Fidelium precibus, & Missæ Sacrificio usque ad ejus finem assistebant: offerre tamen munera ad Altare prohibebantur ad tempus, sicut & communicare non poterant. Eorum locus, seu sedes erat ab Ambone versus Sanctuarium, sive permixti fuerint cum Fidelibus, sive ab illis separati.

T

T*abella*. Eucharistiam sumpturis olim Tabellæ quædam spongia perpollitæ a Ministris apponebantur, veluti mensulæ, ut si quid forte decideret, in illis exciperetur; ut ex Chrysostomo, & Athanasio observat Baronius an. 57. n. 146. His porro Tabellis linteoli successerunt.

Tabernaculum locus in quo adservatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vulgo *Ciborium*. Porro & Ecclesias Tabernacu-

lorum

lorum nomine venisse, colligitur ex epist. Felicis IV. ad Orthodoxos, quæ habetur in C. *Sicut non alii* de Consecr. distinct. 1. in quo districtæ prohibet, ne Sacrificium Missæ offeratur. *Extra Tabernacula divinis precibus a Pontificibus delibuta*.

Tabula consecrata. Lapis consecratus, in quo Sacrificium offertur. Accipitur etiam pro Altari portatili, habetur enim in Concil. Triburien. Can. *Decernimus* de Consec. distin. 1. quod Sacerdotes in itinere, si desit Ecclesia. *Possint in Tabula consecrata Sacrificium offerre*.

Tabula porro hæc etiam *Itineraria*, ideo dicebatur.

Tabula lignea: Lignum illud, quod pulsatur loco campanarum in triduo Passionis. Martene lib. 3. cap. 13. num. 58. *Ante introitum Ecclesiæ, in ea parte, quæ est versus Capitulum, quam plures Tabulæ ad hoc provisæ percutiuntur, eo modo, quo signa pulsari solent*. Ambrosiani *Crotalum vocant*.

Tabula mortuorum Crotalum, Tabula lignea, qua vocabantur Monachi ad infirmum morti proximum. S. Humbelina S. P. Bernardi sorore, animam agente *Angelus mortuorum tabulam pulsavit*. In ejus Vita.

Tabula aliquando etiam accipitur pro lamina, seu bractea. Anastas. in Pelagio I. *Eodem tempore investivit Corpus B. Petri Apostoli tabulis argenteis deauratis*.

Tu-

Tabulatum erat locus in Ecclesia mulieribus in sublimi specula prope testudinem, clathris inpositis ut a virorum consortio subducerentur. Quare Chrysostomus ab altari submovit Diaconum sibi ministrantem, eo quod mulierem sursum in tabulato manentem procaciter inspexisset; & Ambrosius ad Virginem lapsam, c. 6. *Nonne vel illum locum, tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti?*

Tapetia, *Tapecia*, *Tapetum*, nomina omnibus cognita. Apud Puricellum pag. 1139. *Et vidi tapetum poni in sede Archiepiscopi*. Martene l. 4. cap. 1. *Ante Missa introitum sternantur unum, aut duo tapetia*: & c. 8. *Ad magnam missam debent esse tapeta &c.* & alibi. *Via strata debet esse tapeciis*.

Telajon Græce: Latine perfectio, nomen tributum divinæ Liturgiæ, in ea enim omnia perficiuntur divina mysteria.

Teletarchus a Dionysio lib. 1. cælest. Hierar. appellatur Christus Dominus: quia ab ipso prima ratio initiandi, primusque ritus celebrandi profluxit, cum in ultima cœna, seipsum obtulit Deo Patri sub specie panis & vini.

Telete, *Teleten*, *Teleton*. Initiatio, Consecratio, Perfectio, quæ omnia Missam significant. Synesius in fine epist. 58. de hoc Sacramento loquens, arcanum mysterium vocat, Græcè *Teleton*. Lucianus Samosatenus

tenus Christum blasphemans in Dialogo de morte Peregrini, ait ipsum affixum Cruci fuisse ob novam institutam *Teleten*; novum scilicet Mysterium, novum Sacrificium:

Templum. V. Ecclesia, Collecta &c. Dionysius Alexandr. apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 2. *Quivis locus, in quo varias ærumnas pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit*.

Tersorium: pannus lineus pro abstergendis manibus ante Missam, vel locus ad hunc effectum deputatus. Lanfranci statuta.

Textus nomine communiter venit liber Evangeliorum. *Priusquam Sacerdos procedat ad offerendum, osculatur Textum, qui Textus semper debet deferri illi, qui primus offert .... Accipiet Textum argenteum, & portabit in Choro, & dabit osculari*. Martene pluribus in locis. Et ex eodem *Textus* quoque portabantur in Processionibus, lib. 3. cap. 4. *Septem Diaconi sint induti Dalmaticis, cum totidem Subdiaconibus, qui deferant septem Textus*. Et alibi: *Egreditur primo portitor aquæ benedictæ, postea Crucifer, dein portitor Textus*.

Textus fidei: S. Athanasii Symbol. *Quicumque vult &c.* Udalricus lib. 1. & Consuetud. Cluniacen. cap. 3. *Textus fidei, scilicet Quicumque a S. Athanasio conscriptus nullo die*

die obmittitur, ut non dicatur a nobis: sed in privatis diebus simul cum aliis Psalmis: in Dominica post preces. Textus porro, seu Evangeliorum libros, auro, argento, gemmisque pretiosis ornatos fuisse innuit S. Gregorius M. lib. 12. epist. 7. ad Theodelindam. Rupertus Abbas lib. 2. cap. 23. de Divin. Offic. *Codices quoque Evangelici auro, & argento, lapidibusque pretiosis non immerito decorantur.* Moscovitæ non audent textum Evangelii tangere, nisi prius laverint manus, seque signo Crucis munierint, & inclinato capite honorem ei exhibuerint.

Theca, Thecæ: Reliquiaria, seu alia vasa, in quibus Sanctorum Reliquiæ continentur: dicta etiam *Lipsana Philacteria &c. Thecam pretiosam*, seu peram ad reponenda Corporalia, memorat Conradus Episcpus in Chron. Moguntino.

Thesaurarius, in aliquibus Cathedralibus est dignitas Ecclesiastica. Ejus munera secundum Ecclesiarum diversitatem sunt quoque diversa.

Thiara, seu *Tiara*: Mitra.

Thuribularius, cujus est Thuribulum tenere, & ministrare. Martene lib. 2. cap. 4. *Thuribularius præparet Thuribulum, & tradat Subdiacono... Postea reddat Thuribulum Thuribulario.*

Thuribulum, vas in quo thus incenditur, ex le-

gis præcepto, & Apostolica traditione. Cassander in Liturg. Post *Credo Thuribula per Altaria portantur, & postea ad nares hominum, & per manus fumus ad os trahitur.*

Thuribula festiva. Horum pluribi mentionem facit Martene, ut ex lib. 4. cap. 1. *Thuribulum festivum circumfertur*. Mediolani in Metropolitana solemniter celebrante Archiepiscopo, tria adhibentur Thuribula, & quidem sine operculo, sicut & in omnibus aliis Ecclesiis: Uno, Archiepiscopus incensat Oblata, Sacramentum, & quidem genuflexus, Crucem, Altaris mensam, & partem anteriorem: Secundo, unus ex Diaconibus reliquum Altare, & ex parte posteriori thurificat: Tertio, quo Clerus, Magistratus, & populus adolentur.

Thurificator, qui thuribulum in sacro ministerio portat. *Egrediantur Ceroferarii, & Clerici thurificatores vestire albas, & præparare ignem, incensum &c... Clerici thurificatores sint solliciti, ut ignem habeant, & incensum semper paratum &c.* Cæremon. Casalis benedicti.

Thurificatus, qui metu persecutionis thus idolis adhibuerat, inter quos numeratur, sed falso, S.Marcellinus Papa. Cyprianus epist. 53. *Cornelius qua ratione Trophimo, & thurificatis communicat?* Dicebantur quoque ex Tertulliano *Thurificuli*, & *Thurarii*.

Thus:

Thus : Incensum : Olibanum . Thuris usus a tempore Apostolorum in Ecclesiam prolluxit . Tertullianus lib. de Corona cap. 10. *Thus quidem incendimus , sed non eodem ritu , nec eodem habitu , nec eodem apparatu , quo agitur apud Idola* . Thus autem multum adhibebant Sandionussiani in die Pentecostes , ut ex eorum Consuetudin. *Thus multum accendatur ante Altaria , ut tota fumo odorifero repleatur Ecclesia* . Et Compendien. *Tantum thuris ante majus Altare , & minus , & Crucifixum accendatur , & tota repleatur Ecclesia* .

Thymiamaterium , Thuribulum , seu vas in quo adoletur incensum , & alia odorifera . Liber Pontificalis refert a Constantino Magno oblata Thymiamateria duo ex auro purissimo , pensantia libras triginta : & aliud item aureum cum gemmis , librarum quindecim . Et in Sergio *Hic fecit thymiamaterium aureum majus cum columnis , & cooperculo , quod suspendit ante imagines tres B. Petri Apostoli , in quo incensum , & odor suavitatis festis diebus , cum Missarum solemnia celebrantur , omnipotenti Deo opulentius mittitur* .

Timpana , Campanæ . Martene l. 4. c. 8. *Reponant feretrum S. Apri in cassia sua , interim pulsentur Timpana magna Turris* .

Tintinnabulum , parva Campana . Horum mentio in Scriptura Sacra , & apud ethnicos Scri-

Scriptores. Paschalis II. concessit Abbati S. Ambrosii Mediolani inter alia *licentiam ferendi tintinnabulum cappellæ*. Puricell. p. 509. In diversa autem omnimoda significatione sumitur tintinnabulum in MS. consuetud. S.Germani a Pratis, ut ex Martene l.2. c.12. ibi enim loquentes de Mandato, sive pedum lotione, hæc habent. *Prior incipit: Mandatum novum: & tunc lavabunt pedes Prioris illi hebdomadarii, habentes aquam calidam in tintinnabulis*. Hic sub nomine tintinnabulorum venient lebetes, seu vasa fictilia, vel ænea, in quibus aqua calida servabatur, forte sic dicta, quia Campanæ similitudinem referrent.

Titulus: Ecclesiæ olim Tituli dicebantur, ut apud Anastasium in Marcello. *Hic viginti quinque Titulos in urbe Roma constituit propter baptismum, & pœnitentiam, & propter Martyrum sepulturas*. Et Prudentius hym. de Coron. *Parte alia Titulum Pauli via servat hostiensis*.

Toalia, linteum, quod a Subdiacono ferebatur ante Pontificem, dum equitabat, ut Papa posset os abstergere, si spuere vellet. *Subdiaconus regionarius cum toalia, ut cum voluerit Dominus Papa spuere, possit illo gausape os suum mundare* Magri Vocab.

Tobalea lintea illa, queis altaria teguntur, manus mundantur &c.

Ton-

Tonsura. Vid. *Abrasio capitis*. Concil. Toletan. IV. Can. 40. *Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut huc usque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent, ritus enim iste in Hispaniis huc usque hæreticorum fuit.*

Torta panis. Oblata, seu panis, vel hostia non consecrata. Bernoldus Constantiensis apud Cassandrum in Liturgicis, c. 27. *Manifestum est cujus mensuræ vel formæ debeant esse Sacerdotum Oblatæ, quæ ex pugillo simile fieri jubentur, & ad speciem coronæ, quod est Tortam panis offerre.*

Torsea Intortitium, Funale, vulgo *Torcia*: *Post finem Missæ Abbas cum ministris suis, & torceis illuminatis portabit in uno magno calice Corpus Domini... Portatur Corpus Domini consecratum reverenter per Prælatum, ac si diceret Missam, cum Torseis ardentibus ... Populus consuevit habere cereos magnos ardentes, cum aliquibus Torseis*. Martene l.3, c.13. & 25.

Traditores sic appellati ab antiquis Patribus illi, qui tormentorum metu sacros Codices tradebant persecutoribus. Optatus Milevitanus. *In Africa duo mala, & pessima admissa esse cantat: unum in Traditione, alterum in Schismate.* Et in actis S. Saturnini. *O*

Martyrem legis sacræ idoneum, diligentemque custodem, qui Traditorum facinus perhorrescens, Scripturas Dominicas ne perderet, inter secreta sui pectoris collocavit.

Tractus, Cantus, sive Versus qui dicitur post Epistolam pro Alleluja à Dominica Septuagesimæ usquæ ad Pascha ex Gregorii M. institutione: & constat ex aliquibus versibus, vel etiam integro psalmo. Ritu Ambrosiano *Versus*, *vel Cantus* nuncupatur.

Transenna, locus per quem in Ecclesia ingressus ad virorum partem patebat. *Hæc Basilica aperitur tribus arcubus paribus, prælucente transenna per quam vicissim sibi tecta ac spatia Basilicæ junguntur.* Dicebatur quoque Pergula, a pergendo, ut ex Anastasio in Stephano. *In pergula Basilicæ S. Petri posuit cantharum &c.* Vulgo Coridore.

Transitorium Ambrosiani vocant antiphonam illam, quæ post Communionem dicitur, quia tunc Sacerdos ex cornu Evangelii transit ad partem Epistolæ.

Tribuna, Absis, Absida, Ecclesiæ pars retro Altare Majus. Puricell. pag. 566. *Tribunal* quoque appellatur apud cit. Puricellum p. 1164. Sedes etiam Episcopalis ab aliquibus *Tribunal* vocatur.

Triangulare, Candelabrum tres cereos habens. *Illud Triangulare ante S. Crucem dependens, accen-*

accenditur. Consuet. Cluniac. l. 1. c. 11.

Triangulum, arundo illa, seu pertica super quam in Sabbato Sancto accenduntur tres candelæ, ut ex Rubricis illius diei. *Accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius, triangulo distinctis*.

Tricerion, *Tricerium*, Cereus trisulcus, quo Episcopus Græcus celebrans sæpe populo benedicit,

Triodion apud Græcos liber Ecclesiasticus continens tres Odas, quæ in quadragesima solent cantari.

Trisagion hymnus, qui cantatur post Præfationem. *Sanctus: Sanctus: Sanctus &c.* Aliud quoque est Trisagion, quod Græci quotidie, Latini semel in anno, Græce simul & Latine cantant fer. 6. in Parasceve. *Sanctus Deus: Sanctus Fortis: Sanctus & Immortalis miserere nobis*. Hujus hymni originem narrat Felix III. Epist. ad Petrum Gnaphæum: cum enim CP. terræmotibus quateretur, & populus subdiu oraret, cum Proclo Patriarcha, puer parvulus coram multitudine in Cœlum raptus est, & post horam in terram demissus, narravit se hunc hymnum ab Angelis cantari audivisse, sibique impositum ut populo denunciaret Deum illi propitiaturum, si hunc hymnum devote cantaret: quo cantato, ab imminenti clade liberati sunt.

Triduum ad calcandam Gentilium superstitionem,

non defuerunt Christiani, qui Gentilium superstitiones, quas Calendis Januarii exercebant, & ipsi exercerent, illas describit Alcuinus de Divin. officiis. „ Quidam se mutabant in species monstruosas, in ferarumque habitus trasformabant. Alii in fœmineo gestu mutati virilem vultum effeminabant, alii phanaticis auguriis profanabantur, perstrepebant saltando pedibus, tripudiando plausibus. Nonnulli ita auguria observabant, ut focum de domo sua, vel aliud quodcumque beneficium petenti minime tribuerent. Diabolicas etiam strenas & ab aliis accipiebant, & ipsi aliis tradebant. Nec non etiam mensulas plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant &c. „ Hisce inæptis lætitiis universalis jejunii tristitiam, publicasque litanias opposuit Ecclesia, ne fidelis populus communicaret dissolutionibus, quibus gentiles illis diebus indulgebant in honorem Jani, ut ex Concil. Turonico 1. an. 570. Can. 17. *Excipitur triduum, quod ad calcandam gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt, privatas in Calendis Januarii fieri Litanias: ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in Calendis ipsius Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.* Hæc porro Missa juxta ritum antiquum omnino diversa erat a Romana, in ejus enim

enim Ingressa legebatur. *In conspectu gentium nolite metuere: vos enim in corde vestro adorate & timete Dominum, Angelus enim ejus vobiscum est.* Oratio super populum. *Omnipotens sempiterne Deus, qui mensæ tuæ participes a diabolico jubes abstinere convivio: da quæsumus plebi tuæ, ut gustu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedat.* Lectio ex Baruch. c.6. *Hæc dicit Dominus propter peccata &c.* usque ad illa verba. *Angelus enim ejus vobiscum est.* Psalmellus. *Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus tu solus Altissimus super omnem terram.* Antiph.post Evangelium. *Hic est Deus noster, vivens in secula, regnum ejus non æstimabitur, & potestas ejus in æternum erit:* offertorium. *Ubi sunt nunc dii eorum, in quibus confidebatis in eis, quorum adipem sacrificiorum edebatis &c.* hujus antiqui ritus adhuc in Mediolanensi Ecclesia aliquod superest vestigium.

Trullus: *Tholus*, vulgo Cupola. Synodus in Trullo vocatur secundum Concilium Œcumenicum, in quo Monothelitæ damnati fuerunt.

Tugurium. Fistula ad hauriendum Sanguinem e Calice. *Quando communicaverit Diaconus, ipse accipiet calicem, & feret super Altare matutinale, & conventus ibit illuc potum cum tugurio argenteo.* Martene l.3. c.15.

Tuilla. Tobalea, Sindon, Mappa &c. *Sacrista exstendit pallium, & unam tuillam super Corpus Domini, & cereum coram eo accendet.* Martene l.3. c.12.

Tunica; habitus Ecclesiasticus Subdiaconorum; cum prius sola alba induerentur, quibus ex Honorio lib.1. cap.229. duæ aliæ vestes concessæ sunt, *Tunica*; quam *subtile* vocant, & *sudarium*. Tunicæ Episcopalis meminit Ordo Romanus, eam Dalmaticam minorem vocans: *Tunica talaris* ab aliquibus dicitur *Alba*; seu *Camisium*.

Turris nuncupatum lego vas illud; seu ostensorium, quo in Processionibus Eucharistia ferebatur. *Acceptaque Turre Diaconus in qua Mysterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium &c.* Gregor. Turonen. lib.1. de Gloria Mart. Bullingerus: *Constantinus fecit patenam ex auro purissimo, cum Turre & columbam ornatam gemmis*. In pluribus Ecclesiis adhuc in præsens hujusmodi vasa; seu ostensoria rotunda ad modum Templi, sive Turris conspiciuntur.

Tutò: *Tutare candelas*, lampades &c. significat eas extinguere. Gallice *Tuer le candele*. Hæc vox sæpe legitur apud Martene; & præcipue ex Ordinario Corbejensi. *Cum incipit Cantor primam Antiphonam; sit Custos paratus; & tutat unam lampadem: tum audierit secundam Antiphonam tutat aliam;*

aliam: in secundo quoque Nocturno ipsum ordinem tutationis observet:

V

V*Asa sacra: Vasa initiata*: Horum nomine rigorose loquendo ea sola veniunt Vasa; quæ Oleo sacro inunguntur, ut calix & patena, licet quidquid Sacrificio inservit; sacrum dici possit, per benedictionem enim ex usu profano ad sacrum transfertur:

Vas fusile; *Vas productile*. Campana. Strabo rer. Ecclesiast. c. 5. *De vasis fusilibus*; *vel etiam productilibus*; *quæ simpliciter signa vocantur*; *quia eorum sonoritate quibusdam pulsibus excitata significantur horæ*; *quibus in domo Dei statuta celebrantur Officia &c.*

Vasculum: Pixis, Patena, Scutella &c. *Sacerdos dicat Orationem ... vertat se ad dextrum cornu Altaris*; *& posita ibi patena cum hostiis*; *sumat hostiam de vasculo præparato a Diacono: vasculum autem illud super Altare dimittatur*; *usque post Missam*. Usus Cisterc. cap. 53.

Veglones; *Veglonissæ*; qui & *schola S. Ambrosii* nuncupantur in Liturgia Ambrosiana; sunt de Corpore Capituli Metropolitanæ. Processionibus intersunt propria sub Cruce &c. unde autem illis inditum hoc nomen *scholæ S. Ambrosii*; me ignorare fateor: non enim assensum præstare valeo

cuidam Scriptori afferenti ideo appellatam, quia ab eodem Doctore institutam. Extra omnem dubitationis aleam est tempore ejusdem S. Archiepiscopi viguisse morem, ut fideles in Missa offerrent, nusquam autem legi electos fuisse viros, ac mulieres, qui nomine totius populi panem & vinum ad Altare portarent pro Sacrificio, eo præsertim ritu & habitu, quo in præsens utuntur, ut videre est sub hac voce *Scyphus*: & ibi relatis adde. Quod antequam ad oblationem procedant, extra fores sacrarii meridionalis Metropolitanæ, mensam præparant, candidis linteis, seu mappulis ornatam, in qua panem & vinum pro oblatione ponunt.

Vela: in Missa necessaria plurima fuere. Quare Optatus Milevitanus lib. 6. *Quis Fidelium nescit in peragendis Mysteriis ipsa ligna* (Altaria scilicet, quæ in Africa lignea erant) *linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Anastasius in vitis Pontif. pluribi meminit velorum auro gemmisque ornatorum. Tribus velis Græci sacra tegunt: uno discum: secundo Calicem: tertio utrumque. Calicem in principio Ecclef. velo coopertum fuisse, probant aliqui ex can.72. Apostolorum. *Vas aureum, vel argenteum, vel velum sanctificatum, nemo amplius in suum usum convertat.* Velis quoque ornatas

Tem-

Templorum januas majores, seu regias testatur Paulinus natal. 31.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis. Leo III. *fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*. Anastas. de Basil. S. Petri, & de S. Maria ad Præsepe, *Fecit velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu*.

Venia: Genuflexio, genuflectere, inclinare &c. *Discooperta Cruce, & incœpta Antiphona Ecce lignum Crucis omnes petunt veniam super genua. Incœpta Antiphona super omnia ligna &c. iterum venia ab omnibus petitur*. Consuetud. S. Benigni, c.68.

Ventilabrum: Flabellum. Ad quid inservirent *Flabella*, seu ventilabra, jam vidimus, ibi relatis, adde: *Duo Diaconi ex utraque parte Altaris teneant flabellum ex tenuibus membranis, vel ex Pavonum pennis, vel ex velo, quibus leniter abigant prætervolantes bestiolas, ne in pocula incidant*. Auctor Constitut. Apostolicarum lib.8.cap.12. In Vita S. Euthimii num. 78. tom. 2. monum. Eccl. Græcæ. *Aliquando una Sabbatorum, ille quidem Deo ministrabat, eique incruentum offerebat Sacrificium: Donatianus autem adstabat ad dexteram partem cum illo mystico ventilabro*.

Versus Prophetalis, qui de Prophetis sumptus est, vel post Prophetias legitur. Ord. Rom. *Et pertransit Pontifex in caput scho-*

læ,

læ, & stat semper inclinatus usque ad versum prophetalem:

Versum aperitionis: Domine labia mea aperies: Magister in Regul. cap. 44. *Oportet in Nocturnis dici versum aperitionis;*

Vestiarium; Sacrarium; Sacrista; Menardus pag. 273. *Sacerdos in vestiario; ceterique Ministri sanctis vestibus juxta ordinem induantur.* Et alibi. *Ductus est Ebbo Episcopus in vestiarium; & indutus Pontificalibus vestimentis.*

Vestibulum: Porticus Ecclesiæ, Atrium.

Vexillum; Vexilla: Usus ferendi Vexilla in Procesionibus antiquissimus est, & eorum frequens mentio apud Scriptores. Lanfrancus in statutis Rogation. *Præcedunt famuli cum Vexillis:* Item de Rogationibus Consuetudin. Divionen. *Armarius incipit Antiphonam De Jerusalem; Famuli Vexilla deferunt.* Et de die Ascensionis Floriacenses: *Præeuntibus Vexillis cum Oratione &c.*

Viaticum: Eucharistia, quæ in extremis vitæ solet ministrari. Zonara: *Sancta morientibus impertiantur, ut Viaticum illud habeant, nec eorum sanctificatione priventur:*

Balsamon quoque: *Non privari excellenti Viatico sacræ Communionis in extremis vitæ:* Non desunt tamen, qui *Viatici* nomine intelligi volunt reconciliationem; & absolutionem, quæ publice pœnitentibus

bus in extremis dabatur, licet nundum expleta pœnitentia, ex Concil. I. Arausicano can. 3. *Qui recedunt de corpore pænitentia accepta; placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari; quod morientium sufficit consolationi; secundum dessinitiones Patrum; qui hujusmodi Communionem sufficienter Viaticum.* Et Concil. Gerunden. can. 9. *Is, qui ægritudinis languore pænitentiæ benedictionem, quam Viaticum reputamus per Communionem acceperit &c.*

Vigiliæ; harum nomine nunc veniunt dies illi, qui aliquam præcedunt festivitatem, in quibus & jejunium, & abstinentia a carnibus & multis in locis etiam a lacticiniis præcipitur. In primis autem Ecclesiæ seculis fiebant vigiliæ in Ecclesia cum fidelium cœtu, & processionibus antelucanis, ut ex Sidonio Apollinari l. 5. epist. 17. Concil. Matiscohen. 2. an. 585. can. 1. fidelibus præcipiens Dominici diei celebrationem, ait: *Noctem quoque ipsam; quæ nos insperata luce inaccessibili reddidit spiritualibus erigamus excubiis.* Et S. Basil. in psal: 44. *Jam inde ab usque media nocte; quum hoc dicatum Martyribus; templum subjeritis; ipsorum Martyrum Deum hymnidicis laudibus placabilem vobis reddite, ac propitium.* De his vigiliis hæc scribit Plinius epist. ad Trajanum. *Quod soliti essent* (fideles) *stato*

stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, dicere. Circa seculum 13. nocturnæ in Templis vigiliæ interdictæ fuerunt: in Synodo enim Coproniacensi an. 1260. can. 1. habetur. *Cum ex Vigiliis, quæ in Ecclesia fiunt, frequenter multa turpia insequantur... præcipimus firmiter, & statuimus ne de cetero in prædictis Ecclesiis, vel cæmeteriis vigiliæ fiant.* Concil. quoque ad Pontem Audomari an. 1279. can. 10. *Firmiter inhibemus ne vigiliæ & choreæ in cæmeteriis, & locis sacris fiant.*

Vigiliæ pro defunctis: idest Vesperæ & matutini. MS. Consuetud. S. Dionysii apud Martene lib. 3. c. 24. *Post vesperas fiat vigilia pro fratribus, & benefactoribus. Ad vigilias Invitatorium: Regem cui omnia vivunt.... Post hoc celebretur vigilia Regis, idest Anniversarium.*

Virgarius: Ecclesiæ cantor, qui virgam præ manibus ferebat. Martene l. 3. c. 4. *Assistant tres Cantores in choro, regias virgas in manibus tenentes.* Et c. 6. *Archicantor, & duo socii ejus assistentes in choro regias virgas in manibus tenentes incipiant offitium.*

Unctura, locus in quo infirmus oleo sacro unctus fuit. Usus Cisterc. c. 93. *Sacrista verò pergens in ordine suo ferat oleum, & stuppas, vel pannum ad detergendam uncturam.*

Un-

Unguentum ſalutiferum. Unctio extrema, oleum infirmorum. In vita B.Roberti de Arbriſſello Fundatoris Ordinis Fontis Ebreldi, apud Bollan. 25. Februarii. *Unctus autem ſalutifero unguento &c.* Obſervat Menardus per ſeptem continuos dies, unctionis & Euchariſtiæ Sacramentum olim infirmis miniſtratum fuiſſe, quod certè probat locus ex vita S. Rimberti ab anonymo ſcripta, ſecul. 4. Benedict. p. 2. *Septimo ante obitum die miniſterium ſacræ Unctionis cum oleo ſancto ei fieri cæpit, & una cum communione Corporis & Sanguinis Domini uſque in diem animæ exeuntis de corpore, hoc ſalutare remedium omni die percepit.*

Urceus, *Urceolus*. Ampulla, Amula, Scyphus. Ordo Romanus. *Pontifice oblationes populorum ſuſcipiente, Archidiaconus ſumit poſt eum Amulas, & refundit in calicem majorem... Archidiaconus ſumit Amulam Pontificis &c.* Martene l. 3. c. 4. *Cantor vero extremus offerat pretioſam ampullam cum aqua.* In qua tamen quantitate aqua ponenda ſit in calice, audi ex Conſuetud. Lyrinenſ. apud Martene l. 2. c. 8. n. 2. *In vino quatuor ſunt conſideranda, color, ſapor, ut purum ſit, & non acidum. In aqua duo ſunt conſideranda, ut munda ſit, & recens. De vino tantum debet poni in calice, & non amplius, tantum quo tertia*

pars

pars hostiæ competenter e natare queat. De aqua tantum, & non plus, quantum possit absorberi aqua a vino.

S. P. Bernardus epist. 69. refert quorumdam opinionem, qui putabant aquæ mixtionem fore necessariam ad integritatem Sacrificii: certum tamen est, omissa aqua validam esse Consecrationem. Quia vero aqua ratione mysterii apponitur, unica gutta sufficit. Antonius Augustinus in Synodalibus Constitutionibus Terraconensibus affert Constitutionem Pii V. ad illius Civitatis Archiepiscopum, in qua nonnullos arguit, qui non guttam tantummodo aquæ, sicut fieri debet, calici infundebant, sed plus aquæ, quam vini, aut tantumdem, quod omnino corrigi emendarique præcepit. Hunc excessum quidam præcaventes, aquam vino miscendam parvo cochleari excipere solebant, qui mos adhuc permanet apud Cartusianos.

Uvarum benedictio. Antiquissima est hæc benedictio uvarum tam in Ecclesia Græca, qnam in Latina. Hanc Græci habent die 9. Augusti: ejus auctorem quidam faciunt Eutychianum Papam. Ritus autem hujus benedictionis in die S. Sixti ex Missali Lugdunensi est sequens.

„ In Canone Missæ, antequam Sacerdos di-
„ cat. Per quem hæc omnia Domine bo-
„ na creas &c. ponantur a Diacono super
„ alta-

„ altare ad partem dexteram, prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum
„ invase mundo, & Sacerdos dicat: Benedic Domine hos fructus, novos uvæ,
„ quos tu Domine rore cœli, & inundantia pluviarum, & temporum serenitate
„ atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad
„ nostros usus cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu
„ Christi. Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum aqua benedicta, & postea
„ subjungat. Per quem hæc omnia &c.
„ Diaconus vero elevet vas acinorum de altari, & tradat Vice-Magistro chori,
„ quo accepto, ipse videlicet Vice-Magister chori distribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro existentibus, & omnibus aliis laicis in Ecclesia.

Apud Monachos quoque hanc uvarum benedictionem in usu fuisse, patet ex Martene lib. 4. c. 7. Hac die. (Transfigurationis Domini) *benedicantur uvæ novæ ad Missam*. Tum ex Ordinario Corbejensi ritum describit. „ In hac festivitate benedicuntur Uvæ, quæ primum lavantur
„ diligenter a custode Ecclesiæ, & in scypho ponuntur argenteo. Ad horam postea benedictionis, antequam scilicet
„ dicatur ad Missam: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas: sumun-

„ tur

„ tur ab Armario, & altari cum reverentia applicantur. Benedictio vero ita silenter dicitur, ut nec a Diacono, vel Armario audiatur, Benedictione peracta, Armarius uvas ab Altari reportat, & Secretario reddit. Quod si in festo S. Sixti nundum possunt inveniri uvæ, quando primitus inveniri poterunt, eodem modo benedicentur.

Statuta Monasterii Cluniacensis apud Dacherium tom. 4. Spicilegii lib. 1. c. 35. *Sed si nondum sunt maturæ* [die scilicet S. Sixti] *Custos Ecclesiæ observat, quando primo maturescunt, & faciat eas ad Ecclesiam deferri. Allatas Armario repræsentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem, ad horam competentem, & prænotatam ut eas benedicat.*

In die quoque Ascensionis benedictas fuisse fabas; & in die Sabbati sancti benedictum fuisse lac & mel pro Cathechumenis, & in die Paschatis agnum docet Card. Bona l. 2. c. 15. Rer. Liturgic.

Agni porro benedictionem, sicut & illam ovorum in die Resurrectionis D. N. J. C. adhuc præscribunt Missalia, & Ritualia.

Concilium Trullanum, can. 28. Uvas offerri vetuit, ad tollendum abusum, qui in diversis Ecclesiis irrepserat, ut eas ministri Sacrificio incruento conjungentes, simul cum Eucharistia populo distribuerent.

Ideo decrevit, ut Sacerdos ſolam oblationem populo porrigeret, & Uvam tamquam primitias ſeorſim benediceret, & petentibus tribueret ad fructuum Datoris gratiarum actionem.

X

XErophaſia. Rerum aridarum, ſeu ſiccatarum comeſtio. Hanc deſcribit Tertullianus lib. 1. adverſus Pſyticos his verbis: *Xerophagiam obſervamus ſiccantes cibum ab omni carne, jurulentia, & vividioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis edamus, vel potemus*. Concilium Laodicenum ſub Damaſo, can. 50. *Non oportet in Quadrageſimæ poſtrema ſeptimana, quinta feria jejunium ſolvere, & totam Quadrageſimam injuria afficere, ſed per totam Quadrageſimam jejunare aridis veſcentes*. Hanc autem *Xerophaſiam* in jejuniis Græci aliqua ex parte obſervant, apud quos vigere a cunctis piſcibus abſtinentiam teſtatur Balſamon, quos Tertullianus ſub nomine *omnis carnis* comprehendit. Armeni etiam ſchiſmatici, & Eutychetis ſectarii non ſolum ab omni carne animalium, quæcumque illa ſint, a lacticiniis, & ovis, ſed etiam a vino, & oleo abſtinent, ex eorum relatione, qui illas regiones peragrarunt,

Balsamon item ad Apostolorum Can. 169. docet servari quoque a Græcis Xerophagiæ jejunium non in sola Quadragesima, sed & in omnibus anni quartis & sextis feriis, adeo ut nec cum egrotantibus dispensetur, etiam in mortis articulo, nisi circa pisces. Cur autem Orientales adeo aversentur jejunia Sabbati, hæc est ratio: quia jam ab Apostolorum tempore obortæ erant hæreses, asserentes Deum Hebræorum, qui hunc mundum condidit; & Moysi legem dedit, esse malum, omniumque malorum originem, atque in ejus odium Sabbatis jejunabant, quos ille dies suo cultui destinarat. Hujus hæresis auctor fuit Simon magos, eamque propagarunt ejus discipuli Menander, Basilides, Saturninus, Cerinthus &c.

Xenodochium, vulgo *Hospitale* locus pro suscipiendis, alendis, curandisque infirmis, ac peregrinis. Concil. Nicænum Generale primum, sub Silvestro anno 315. ex Arabica editione juxta *Rives*, *Statuit* in hæc verba, *sit in omnibus Civitatbus locus separatus peregrinis, infirmis, & pauperibus, qui vocetur Xenodochium*. Inter prima Xenodochia fuere illud erectum Jerosolymis ab Hircano. Romæ a Fabiola: Constantinopolis a S. Zotico Presbytero; & in Portu Romano a S. Pammachio.

Xylinum, *Xylon*, *Bambace*. Rituale Romanum.

num de Sacramento Unctionis extremæ. *Minister verò, si est in sacris, vel ipsemet, Sacerdos, post quamlibet unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacij, vel rei similis.* Liber usuum Cisterciens. c. 93. *Quoties dicitur per istam Sanctam unctionem &c. stupæ mittentur, vel pannus &c. quas postea in piscinam ad hoc deputatam comburet.* Idem præcipit Breviarium Casalis benedicti, & Ordinarium Cartusiensium.



OPUSCULI TRIPARTITI

PARS SECUNDA

In qua potiorum rituum, usuum, consuetudinum, dignitatum ecclesiasticarum, atq. rerum quæ ad sacra peragenda inserviunt prima institutio exploratur.

LECTORI.

VOcibus Ecclesiasticis, atq. Liturgicis breviter in hoc Onomasticon collectis, & significatione per idoneos testes probatosque Auctores explanata, maxime circa voces magis exoticas, quæ in diversis codicibus sacris occurrunt; pro presentis Opusculi complemento, visum est, & de tempore quo diversi usus, ritus, consuetudines, statuta, & officia ecclesiastica, saltem potiora introducta fuerunt hic esse breviter agendum, ut ex ipsa antiquitate introductionis rituum Christianorum, erga eosdem majori devotione concepta, majori etiam fervore ab his ad quos spectat compleantur; rerum enim omnium, præcipue sacrarum antiquitas, semper majorem, quo major probata, apud omnes gentes sibi conciliavit venerationem; quam in pluribus improbant Novatores, blaterantes plures ecclesiasticos ritus, consuetudi-

nes, usus, & statuta nova esse adinventa; ut itaqne commodius quæ circa hanc materiam, de prima scilicet prædictornm institutione occurrunt, unico quasi intuitu, possint a sacræ antiquitatis studiosis haberi perspecta, in hoc supplemento breviter collecta exhibentur. Cum vero non nisi ex pluribus, & diversis voluminibns hæc sacra eruditio erui valeat, quæ omnia omnibus semper prestò esse nequeunt, hic perstricta exhibentur. Opus utiq. breve, sed labor longus, a quo per hujus opusculi supplementum sacræ eruditionis studiosus absolvitur, cui æternam felicitatem Auctor præcatur.



OPUS-



OPUSCULI TRIPARTITI
PARS SECUNDA
IN QUA
RITUUM ECCLESIASTICORUM EXPLORATUR ANTIQUITAS.

A



Blutio, ritus abluendi manus in Sacrificio post oblationem quando inceperit, positive asserere nequeo: cum tamen de hac ablutione mentionem faciat Cyrillus Alexandrinus, hinc satis patet non modo hunc ritum esse antiquissimum, sed etiam liturgiam latinam jam per universam Ecclesiam ante S.Cyrilli Alexandrini tempora fuisse dilatatam, quandoquidem hic S. Scriptor jam vivebat cadente seculo quarto.

Acolitus. Acolitatus officium quo tempore institutum fuerit, & cæperit numerari inter Ordines: vide pag. 8.

Adventus. Jejunandi in adventu antiquissimam consuetudinem, non ausim asserere a Monachis fuisse introductam in Ecclesia: cer-

tum tamen eſt hanc inter monachos à primeva Monachiſmi inſtitutione fuiſſe in praxi, qua de re teſtimonia perhibet Martene lib. 3. de ritibus Cap. 1. Sed quoniam compertum habeo Anaſtaſium ſinaitam reprehendere eos, qui a monachis jejunium in adventu afferunt introductum, & Apoſtolicum vult eſſe inſtitutum, eidem lubens aſsentior: hoc ſolum addendo, quod hoc Apoſtolicum inſtitutum a Monachis & regularibus ferè tantum uſque ad noſtra tempora fuit obſervatum,& continuatum, quapropter ſi conſuetudo jejunandi tempore adventus non fuit a ſui exordio inſtitutio devotionis Monaſticæ, Monacorum tamen pietati debet Eccleſia adeo ſanctæ & apoſtolicæ conſuetudinis propagationem, & conſervationem.

Abſolutio a gravioribus delictis impertiri ſolita per Rom. Pont. Ivo in lib. Decret. part. 10. cap. 33. ſub Nicolao Papa anno 867. perſeverabat ex uſu antiquo.

Aera Hebreorum incæpit anno mundi 2544., quando Hebrei egreſſi ſunt ex Ægypto a dura captivitate Faraonis: & tunc primum omnium Paſca cellebrarunt. Catholicorum autem aera incipit a Nativitate Chriſti. In præſenti opuſculo cum explorata exhibeantur eccleſiaſticorum uſuum, & ſtatutorum initia, indiſpenſabile viſum eſt etiam Aeræ initium inſinuare.

Agnus

Agnus Dei. Ceræ Sacræ uſum cum imagine Chriſti Agni jam circa medium primi ſeculi fuiſſe introductum, miraculiſque comprobatum narrat Baronius ad annum 58. Componebantur autem Agnus Dei ex cera accepta ex cereo Paſquali, cum alia cera pura admixta, & ſacro criſmate delibuta.

Alleluja hujus vocis in Romana Eccleſia antiquus eſt uſus; ex antiqua traditione ab Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſam fuiſſe hanc vocem aſſerit, S. Auguſtinus *in pſal.* 106. eſt autem hæc vox letitiæ, quam ab initio in uſu habuit Eccleſia Hieroſolimitana. De ejuſdem introductione in Eccleſia. vide *pag.* 15. Dimiſſio autem hujus vocis Alleluja,quæ eſt vox lætitiæ a Septuageſima uſque ad Paſcha, præcepta fuit per decretum in Concilio Aquiſgranenſi.

Altare. Prima mentio Altaris iu Scriptura fit. *Gen. Cap.* 8. *edificavit autem Noe altare Domino*. Sed cum ex eadem ſcriptura compertum habeatur antiquiores Patriarcas ſacrificaſſe Domino; quemadmodum legitur de Abel, conſequens eſt altarium uſum ad ſacrificandum Deo fuiſſe ab ipſo mundi initio introductum. Compacta autem tunc fuiſſe creditur ſive ex terra aggregata, ſive ex lapidibus congeſtis. Primum omnium altare. de quo mentio fit in Scriptura, erectum fuit ex lapide, & unctum oleo, a Patriarca Jacob, figuravit

autem

autem ſpiritualem Chriſti onctiouem: & in hujus Miſterii ſignum etiam nunc altaria ex lapide fiunt, & oleo onguntur.

Annulus. Annuli uſus, quem in ſignum Prælatitiæ dignitatis deferunt Epiſcopi, & Abbates, quando invaluerit: vide pag. 28.

Antiphonas canendi in Eccleſia ritus quando exorſus vide pag. 29.

Appellationes, earum uſum apud gravatos in judiciis ſubalternis ad Sedem Apoſtolicam, eſſe ex traditione Apoſtolica, & ex auctoritate a Chriſto collata D. Petro, probant efficaciter omnes Canoniſtæ.

Aqua benedicta. Hujus antiquum fuiſſe uſum in ingreſſu Eccleſiæ ad purificationem introeuntium comprobatur *Exodi* 10. proinde aqua precibus Sacerdotis benedicta adventantibus offertur, cujus mirabilem efficaciam pluribus miraculis comprobatam legimus apud antiquos Patres, & in domibus aſſervandam ſtatuit Annacletus Pontifex: ſed & ab initio Eccleſiæ conſuevisſe catholicos aqua benedicta ſe aſpergere maxime in ingreſſu locorum piorum: ubi ad orationem conveniebant, cenſetur communiter traditio apoſtolica.

Aureus numerus: ad inveniendum cujuslibet anni Paſchalem diem in Niceno Concilio fuit adinventus, ab aliquo ex illis S. Patribus, ſpeciali Dei lumine obumbrato.

Bal-

B

B*Alzamus*: Utitur Ecclesia pro conficiendo chrismate balzamo: planctam balzami primam detulit Regina Saba ad Salomonem. Hanc plantavit Salomon in agro Jericontino: & sola Judea, postmodum Ægyptus hanc planctam aluit, teste Plinio.

Baptismus. Christum instituisse baptismum adeo clare constat ex Evangelio, ut ejus statim omnibus obvium fiat initium; baptismus autem Chisti contigit ejus anno trigesimo expleto.

Benedictio. Aquæ, Olei, Panis aliorumque fructuum exApostolica traditione adEcclesiam derivata est. Vide *Clem. Constit.* 3. panem Christus daturus turbis quod prius benedixerit constat ex Evang.Lucæ 9.Pravorum demonum molitiones per Aquæ benedictæ aspersionem esse dissolutas narrant antiqui Patres Epiphanius, Hieronymus, Theodoretus, & alii: de his benedictionibus faciendis decretum edidit Euthichianus Pontifex seculo tertio.

Bigamus. A Sacerdotio exclusi in lege veteri erant Bigami: quæ autem ad institutionem morum spectant, ex Synagoga ad Ecclesiam Christi tranferre sattagerunt Apostoli, quapropter bigamos non posse ordinari traditio-

ditionem esse Apcstolicam asserit Tertullianus de Monog. cap. 7.

C

Calicum sacrorum usus varii; qui primus in consecratione calicem argenteum adhibuerit, quæ fuerit ejus structura, vide p.54. 55. 56.

Candelabrum. Utitur candelabris Ecclesia Ad Altarium ornamentum, superaccensas candelas sustinentibus. Candelabri forma describitur. *Exodi* 25.31. *&* *Cap*.37.17, Salomon eorundem usum introduxit in templo.

Campanas benedicendi prima institutio: vide pag. 59. & 89.

Candelas accendendi in Ecclesia quando ritus invexerit vide pag. 66.

Cantus modulati prima in Ecclesia introductio. vide pag. 66.

Cantus alterni in Ecclesia primus usus. Vide pag. 67.

Canticum Omnium primum cecinit Moiises post submersos Egyptios.

Cardinalis Cardinalium prima mentio facta est in Conc. Rom. sub Silvestro Papa, erant numero septem, ministrantes Pontifici Solemnia agenti; Pauperum in singulis regionibus Urbis sibi assignatis curam agentes: ex quo Diaconi regionarii etiam dicti fuerunt.

Casus

Casus reservati. Quosdam atrociores casus Episcopos non absolvere sed reservasse illos Rom. sedis Antistiti, ut absolutionem, pro ut expedire comperisset, impenderet, facile ex serie antiquarum historiarum Ecclesiæ evincitur.

Cantus Canendi Dei laudes alternatim in Ecclesia institutionem esse apostolicam plures asserunt: quandoquidem de cantu alternativo loqui videtur Paulus *Epist. ad Ephes.* 5. Temporibus Trajani Imperatoris, qui cadente primo seculo gerebat Imperium jam consuevisse Christianos Romæ, in unum convenientes hymnos canere, psalmos, & Cantica, scribont antiqui Patres: quem usum a Christo Domino, & ab Apostolis fuisse prescriptum asserit S. Augustinus *Epist.* 119.

Cereus Pascalis. Cum de hujus Cerei Pascalis benedictione, & Symbolico Sacramento hymnum cecinerit Poeta Prudentius, qui vixit currente seculo tertio, evidenter convincitur ante Zozimum Pontificem viguisse in Ecclesia hujus cerei benedicendi usum, quem quidem Zozimus ad omnes parecias extendit: vide quæ dicta sunt verbo *Agnus Dei*.

Cælibatus Cælibes vivere Dei ministros ad sacra facienda electos præcepit Ecclesia. In Sacra Scriptura a Christo Domino, & ab Apostolis, quam commendatus sit Cælibatus

satis

ſatis notum eſt. Qui primus a creatione mondi celebs vixerit difficile eſt aſſerere. Hanc prærogativam multi adſcribunt Abel, ſed aſſertio arduas patitur difficultates. Cælibatum in Eccleſia latina a ſacris miniſtris fore ſervandum ex præcepto, decretum eſt a ſecunda Synodo Generali ſub Damaſo Pontifice...

Chirotecarum in Miſſe Sacrificio uſus antiquus: vide pag.81.

Chriſtianus. Chriſtianorum nomine primi ſunt diſtincti Antiochiæ ſequaces Legis Evangelicæ. Petro ibi primarum Sedis. adminiſtrante. Sed quia hoc nomine etiam diſtingui auſi ſunt aliqui hæretici: ad diſcriminandos veros Chriſtianos a falſis, *Cattolicum* nomen eſt aſſumptum, & aſſeri debet hoc actum fuiſſe ex inſtitutione Apoſtolica, quandoquidem in Apoſtolorum Symbolo Eccleſia Chriſti, *Cattolica* noncupatur.

Communio: de uſu communionis ſub utraque ſpecie: vide pag.86.

Concilium. Inſtitutio cellebrandi Concilia eſt a Chriſto, ipſe enim Concilii celebrandi Typum expreſſit tunc, cum ſuis congregatis Apoſtolis, ſummam rerum queſtionem propoſuit, interrogans quæ eſſet illorum de filio hominis opinio *Matth.* 16. & in ſignum Primatus voluit Petrum definire propoſitam queſtionem, ejuſq. definitionem

col-

collaudavit , tamquam a Deo Petro infusam. Concilia varia ab Apostolis in causis tunc emergentibus fuisse celebrata constat ex actibus Apostolorum.

S. Confessorum festivitates a quo tempore in Ecclesia receptæ : vide pag. 102.

Crucis signum. Munire se Christianos Signo Crucis, in omnium suarum actionum initio, res etiam quascunq:,quibus uti debent benedicere, traditionem esse, quæ fluxit ab Apostolis ad Ecclesiam, ait Tertulianus de Com. Mill. cap. 3. & 4. Munire se autem triplicato Crucis Signo in fronte, in ore, & in pectore ad recitationem Evangelii consueverunt fideles statim ac contra Ecclesiam exortæ sunt persecutiones, ad exprimendum se Evangelicum verbum esse constanter profiteri paratos mente, verbo, & vita: & ex tunc ad nostra usque tempora pia hæc diffusa consuetudo.

D

Dalmaticarum prima institutio : vide p. 117.

Decimæ. Sacerdotibus erogare decimas est divina institutio, de qua fit mentio *Levit. cap. ultimo*. *Numeri* 18. 21. *Deuter.* 14. 22. *Tob.* 1. 7. Summo autem Pontifici, constat ex scriptura quod erogabatur decima abondantior, ita ut inferiores Sacerdotes etiam decimarum suarum decimam sum

summo Sacerdoti offerrent : quapropter harum decimarum loco Romanus Pontifex annatas beneficiorum colligere consuevit.

Diaconissas quando Ecclesia admiserit: vide pag. 120.

Diaconorum Ordo institutus a tempore Apostolorum: vide pag. 123.

Dies. A diis gentium nominare dies, sicut consueverant gentiles, horruerunt in ipso ortu Religionis Cattolicæ Christiani, qui propensius quotidiæ Deum verum venerantes, & quoad poterant a laboribus manualibus feriantes, ut impensius orationi vacarent, cæperunt ex tunc dies ebdomadæ, ferias vocare, excepta Dominica, singulariter Christi Domini ressurectionis memoriæ dedicata, quæ ideo semper diei Dominici nomen retinuit.

Dimissioriales literæ: vide pag. 162.

E

E*cclesia*. Deo in honorem Sanctorum Ecclesias edificare ceperuntCattolici ab ipsius Religionis Evangelicæ nascentis primordiis, in libro enim de Rom. Pontif. legitur quod Anacletus adhuc Presbyter Ecclesiam construxerit in Vaticano, in honorem S.Petri ibi tumulati, quam Ecclesiam etiam inter persecutiones perseveraſſe per plura tem-

pora

pora illesam scribit Eusebius *hist.* 2. 24.

***Epiphania*.** Diem quo Magi ab Oriente, duce stella, venerent Jerosolimam adorare Verbum Dei Incarnatum, consuevit ab initio Evangelicæ prædicationis celebrare Ecclesia Catholica sub nomine Epiphaniæ; hoc est, Apparitionis, sive manifestationis: hunc diem futurum solemnem prædixerat. Isaias 60. David Psalm. 71. ex quo patet inter primarias & antiquiores ab Ecclesia præceptas festivitates, hanc diem tribus præclaram miraculis meritò computatam.

Esus carnium permissus in die Natalis Domini dum contingit die veneris Nativitatem Regis Regum Jesu Christi celebrari, in tantæ solemnitatis gratiam fuit a primis Ecclesiæ sæculis dispensatus, ac licet nulla irrefragabili auctoritate probari possit prima hujus dispensationis introductio, illative tamen vetustissimam esse hanc Indulgentiam probari potest ex Guigonis statutis cap. 8. Fragmentum Epistolæ Theodomari ad Carolum Magnum asserit, quod Benedictinis a carne quotidie ex primo instituto abstinentibus, permissum tamen erat in die Natalis Domini & per totam octavam volatilia comedere, unde inferri liquet hanc dispensationem comedendi carnes in die Natalis Domini multo magis invaluisse apud sæculares ex dispensatione summo-

 rum

rum Pontificum a primis Ecclesiæ sæculis.

Exedra nomen est genericum ad significanda domicilia, seu cubicula ad varios ministrorum templi usus edificata *Paralip.* 1.28. ex quo invectus est usus ut Episcoporum, Canonicorum, aliorumq. Ecclesiæ ministrantium domicilia, prope Ecclesiam Cathedralem, quemadmodum & Parochi prope Pareciam, construerentur.

Excommunicatio. Lex excommunicandi, quod idem est ac prohibendi a consortio aliorum Fidelium in certa gravia crimina lapsum, & ab introitu Ecclesiæ, cœpit in lege veteri, confirmata in lege gratiæ. S. Gregorius Nissenus eam vocat legem Ecclesiæ veterem; invaluit hæc lex etiam apud gentiles, ut facinorosi a templis dimoverentur. A fortiori debuit hæc lex vigere in Ecclesia Catholica, cui Christus tradidit potestatem ligandi, atque solvendi. Hac potestate munitus Apostolus 1. *ad Cor.* 15. incestuosum tradidit Satanæ in interitum carnis, quo spiritus salvus esset in die Domini. Exemplo itaque Apostoli, & auctoritate Christi usus excommunicandi receptus.

Hymnos

H

HYmnos canendi in Ecclesia primus usus: vide pag. 174.

Hyppapante ritus accendendi candelas in hoc festo, scilicet Purificationis B. M. V. vide pag. 176.

I

INdictio quo tempore cœperint anni numerari per indictiones variȩ sunt auctorum opiniones, difficilius etiam dilucidandæ, quia tres indictiones esse perhibentur. Cum Ecclesia Romana in computatione annorum utatur indictione (unaqueque indictio quindecim annis constat, itaut quot indictiones tot per quindennium multiplicandi sint anni) nobis satis hic erit innuere, quod in Ecclesia usus computandi tempora per indictiones invaluit anno 312. & hoc secundum probabiliorem opinionem asserimus; quandoquidem apud monumenta Ecclesiastica prima mentio indictionis facta est in Concilio Romano sub Julio Pontifice, qui Silvestro successit. Indictio autem qua ex tribus utitur Ecclesia est Constantiniana, sic dicta quia incipit a die qua Constantinus de Maxentio Romæ triumphavit.

Incensi usus in Sacrificiis: vide pag. 181.

Introitus Missæ recitabatur ante tempora S.Gregorii. vide pag. 185.

Institutio, quod accepturus Eucharistiam accedat jejunius. Vide pag. 178.

Jubilæus: ab anno quinquagesimo, quo ingressi sunt Hebræi Terram Chanaam, cœpit numerari annus Sabbaticus, sive Jubilæus, semper celebrandus ex Dei præcepto *Levit.* 25. *Deuter.* 31. recurrente quinquagesimo; quapropter anno centesimo a dicto introitu celebratus est annus secundus Sabbaticus, & sic deinceps; ita ut a primo Jubilæo Hebræorum usque ad 29. nempe ultimum 1450. irrepserint anni; fuit autem ultimus Jubilæus Hebræorum anno Augusti Cæsaris 23. regni vero Herodis sexto. Annum Jubilæi inter Catholicos recurrente centesimo semper celebrandum instituit Bonifacius VIII. anno 1300. Gregorius XI. reduxit ad quinquagesimum: Sixtus autem IV. ad vigesimum quintum.

L

L*ampas*. Luminis Sacer usus a superstitione Gentilium vindicatus in Dei cultum, & Sanctissimæ Dei Genitricis, necnon Sanctorum Martyrum, ab initio Ecclesiæ fuit translatus: Legimus cæreis accensis Apostolos deduxisse a Hierosolymis ad Vallem Josaphat Sanctissimum Corpus B. M. V. ut ibi-

ibidem tumularetur. Lumina accendere consueverant gentiles in signum lætitiæ in natali Principum; nil vetat eadem accendere in Ecclesia in signum lætitiæ in natalitiis Sanctorum. De mistico candelabro ardente in Templo Hierosolymitano satis clare loquitur Scriptura sacra.

Lampades accensæ in primo Missæ Sacrificio. Vide pag. 189.

Lectio ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in Missa recitata. Vide pag. 194.

Linostinæ pallæ usus. Vide pag. 198.

M

M*ausoleum*. Sepulcrum Elisei Hieronymus in Abdiam vocat mausoleum, eo quod fuerit Eliseus onorificé sepultus, sic præcipiente Joas Rege Israelis. Contigit mors Elisei anno 3198. hinc constat, quod onorifice tumulare mortuos, qui dum vixerunt in carne hac corruptibili emicuerunt virtutibus, consueverunt homines etiam multo ante propagatam Christi legem. Asserit Hieronymus epist. 27. sepulcrum Elisei magna deinceps in veneratione fuisse: & ad ejus venerandas exuvias consuevisse homines a dissitis finibus properare pluribi legitur, ex quo evincitur debitum esse Reliquiis Sanctorum cultum, quem improbant accatholici.

Memoria Defunctorum in Sacrificio, institutio Apostolica. Vide pag.226.
Mitra Mitræ usus a quo tempore, in ornamentum, & distinctionum Episcoporum invaluerit facile est probare, quandoquidem S. Jacobum Hierosolymitanum Episcopum laminam auream gestasse in capite asserunt antiqui Patres. *S. Hieron. de Scriptor. Ecclesf. in Jacobum. S.Epiph. hæref.*24.
Missa. Cum de sacrosancto Missæ Sacrificio plura habeantur commentaria omni eruditione cumulata a doctissimis viris, inter quos Card. Joannes Bona a Monte Regali Congreg. S. Bernardi decus & ornamentum, ad eundem lectorem remittimus, ut quæcumque circa institutionem Missæ occurrunt apprime ediscere valeat. Tanti Sacramenti institutor fuit Dominus noster Jesus Christus in die Cœnæ, quando & Apostolos Sacerdotes creavit, a quibus propagatum in Ecclesia militante Sacerdotium; de ritibus itaque quæ in Missa celebranda adhibentur ab Ecclesia Latina, nihil hic superaddimus, cum de his omnibus de tempore, & a quo Pontifice fuerint introducti sigillatim agant Liturgici, abunde indicantes quot & quanta Mysteria per unumquemque ritum in Sacrificio ab Ecclesia præceptum significantur; ad quos sacros ritus, cæremonias, & eorum significata, si ut par est, omnes Sacerdotes serio atten-

attenderent, plures utique ex ipſis cautius, majorique cum animæ eorum emolumento illa perficerent: quod hic non ſine confuſione dicendum occurrit hoc eſt; plures eſſe Sacerdotes de ſignificatione eorum, quæ quotidie agunt prorſus ignaros, hoc unum tantum forte ſcientes; quod ut ad Altare Sacrificium offerant permiſſum illis eſt mendicare eleemoſynam, ſed ſi interrogentur quot Cruces vel ſignando ſe ipſos, vel ſuper oblata, vel cum hoſtia, & calice conſecrato, vel benedicendo populum Celebrantes, in unaquaque Miſſa perficiant, vix ex pluribus paucos eſt invenire qui dicere valeant, eſſe numero in Miſſa vivorum 52. in Miſſa de requiem 45. Quarum ſingulæ ſuam myſticam & peculiarem continent ſignificationem: etiam de inſtitutione ceterorum Sacramentorum videbatur in hoc ſupplemento agendum, ſed de his omnibus copioſos & eruditos tractatus cum Doctores Theologi perfecerint ad eoſdem recurrendum ab his, qui de tempore inſtitutionis ſingulorum Sacramentorum, & de eorum efficacia pleniorem deſiderant cognitionem.

Monachiſmus. Si quæ eſt vitæ communis in Dei cultum ſpecialis ratio ob vetuſtatem ſuæ inſtitutiònis commendabilis, hæc, citra omne dubium eſt, vita Monaſtica, inchoata anno a creatione Mundi 2594. a filiis Cinæi

cognati Moysis, quando de Jerico ascenderunt in Desertum cum filiis Juda. *Judic.* 1. ut ibidem vitæ solitariæ, scilicet Monasticæ addicti, Deo soli ferventius famularentur: Vitam hanc Monasticam egregie commendat. *Jeremias* 35. 1. qui Monacos non modo Cinæos, sed etiam Reccabitas est nuncupatus a nomine auctoris vitæ Monasticæ. Vide Hieronymum Epist. 8. ad Paulinum. Ex his, quæ Jeremias de Reccabitis loquitur cap. cit. in fine ad consolationem institutum Monasticum profitentum, deduci potest Monachismum non defecturum usque ad finem sæculi, quidquid contra ipsum moliri valeat quæcumque secularis potestas. Vitæ vero Eremiticæ, & Monasticæ restauratores fuerunt S. Paulus, & S. Antonius. A S. Antonio S. Athanasius Monasticæ institutionis prima rudimenta se audisse profitetur.

O

O*blatio*. Oblationibus Fidelium sustentare Ecclesiasticos ab initio suæ institutionis consuevit Ecclesia Catholica; quapropter legimus Christum cum suis Discipulis, cum munus prædicationis obiret, de oblationibus victitasse, sicut aperte colligitur ex Evangelio: ex oblationibus autem statim in initio Ecclesiæ copiose a credentibus

erogatis, legimus consueviſſe Apoſtolos eas diſtribuere in ſuſtentationem pauperum Fidelium. Ab ipſo autem ſui exordio non modo oblationes manuales, ſed etiam bona immobilia poſſediſſe Eccleſiam Chriſti, compertum habemus ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis. Primum bonum immobile quod poſſedit Eccleſia fuit domus Joannis, qui dicebatur Marcus, in qua Beatiſſima Virgo uſque ad ſuum feliciſſimum tranſitum Hieroſolymis habitavit. Deinde in Eccleſiam converſa.

Officium Laudum Matutinarum antiquitas, ſive mos conſurgendi ad nocturnas præces canendas in Eccleſia, quod fuerit inter Chriſtianos invectus ab initio fundationis Eccleſiæ, facile probatur ex his, quæ de nocturna pſalmodia ſcribunt antiqui Patres. Mox enim tunc erat quod ter in nocte alternatim ſe conferrent Catholici ad Eccleſiam ad orandum, & canendnm Pſalmos cum Clericis, ad hoc ut tempore perſecutionis omni hora eſſent diſpoſiti ſe offerre Deo hoſtiam laudis per Martyrium: in cujus frequentatæ orationis memoriam, quæ tunc fiebat ter in nocte a Chriſtianis, Officium nocturnum, ſive Matutinum diviſum eſt in tres nocturnos. De tribus nocturnis ſcribit *Caſſianus lib.3. cap.3.*

Onctio Regum. De hac onctione exempla habemus in Scriptura de Samuele, de Davide.

vide. Etiam Azaelem ab Eliseo onctum fuisse in Regem Syriæ, sic precipiente Deo Profetæ anno 3151. compertum est ex sacris paginis; sicut & de onctione eorum qui eligebantur ad Sacerdotium.

Oratio diversos orandi ritus habuerunt in primitiva Ecclesia catholici, ab Ecclesia ipsa approbati, ut plurimum enim genuflexi tamquam venerabandi ante Majestatem Dei, aliquando stantes in memoriam Dominicæ Resurectionis; sępe procumbentes, & etiam sibi percutientes pectus tamquam pœnitentes, orare consueverunt, qui ritus a Christo fuit in Publicano commendatus: isti omnes ritus adhuc inpręsens in Ecclesia perseverant: Monet tamen *Tertullianus de Orat.* quod orando sedere est extra disciplinam esse. Subintellige quando infirmitas vel gravis lasitudo non excusat. Orare viros in Ecclesia detecto, & mulieres velato capite fuit monitum Divi Pauli in sua *epist. ad Corint.* & ex eo tempore sic deinceps per universam Ecclesiam orandi usus invaluit.

Ordo Sacer. Ordines septem numero ab Ecclesia sunt stabiliti, omnes septem recensiti in Romano Concilio sub Silvestro Can. 2. & in Cartagin. 3. Sacri ordinis institutio semper appellata est in Ecclesia Sacramentum, sicuti perhibet Tertullianus de prescrip. cap. 4. Ordines semper collati sunt ab Episcopo

ſcopo inter Miſſarum ſolemnia. Hæc veritas aperte conſtat ex actibus Apoſtolorum ubi legitur quod Miniſtrantibus illis, id eſt Apoſtolis domino, imponebant manus ſuper eos, quos ordinabant Presbyteros, præmiſſo etiam ut legitur, jejunio. Imponendas eſſe manus ſuper eos, qui Sacerdotio initiantur, ſancitum eſt Lege Divina. *Exod.* 29. quæ lex ex Apoſtolorum inſtitutione in nova Lege eſt retenta. Ex dictis clare colligitur quando inſtitutio conferendi Ordines per manuum impoſitionem ſuum habuerit initium.

Oſculum. Conſuetudo inter ſibi obviantes ſalutandi ſe oſculo viguit inter gentiles multo ante Chriſti adventum. Sed eorum oſculum erat oſculum urbanæ amicitiæ, quem morem etiam in præſens alicubi gerunt diverſæ nationes. Cum moneat Apoſtolus ſæpe ſuis in Epiſtolis ad quos ſcribit *Salutare ſe invicem in Oſculo*, ſtatim ſubdit *Sancto*: intelligens hæc oſcula eſſe ſymbolum pacis & Chriſtianæ dilectionis: conſueverunt itaque fideles in Eccleſia juxta D. Pauli monitum, Viri quidem inter Viros, & Fœminæ inter Fœminas ſe invicem oſculari in oſculo Sancto: Hæc oſcula non tollere, ſed moderare curavit primitiva Eccleſia, addita in actu oſculi verbali ſalutatione *pax tecum*. Dignis autem de cauſis progreſſu temporis mutatus eſt, & quidem lau-

laudabiliter usus osculi, in osculum Crucis, aut Sacræ Imaginis super tabellam impressæ, quam defert inter Missarum solemnia unus ex Ministris Altaris osculandam Fidelibus Missæ Sacrificio adstantibus.

Ospitale. Ministrare infirmis ut sic, actio est umanæ naturæ, natura licet commotæ super individua suæ speciei, quæ videt morbo succumbere, huic commotioni utpote naturali facti sunt sensibiles cujuscumque nationis homines, qua de re plura leguntur in historiis humanæ miserationis exempla. Elevata autem est hæc actio miserationis in Lege Evangelica ad opus misericordiæ meritorium, quandocumque ministratio fit ex motivo Christianæ Charitatis, ad quam exercendam instituta sunt Ospitalia, in quibus congregantur pauperes egrotantes, ut opportunum habeant subsidium. Prima Ospitalis institutio ad receptaculum pauperum ægrotantium facta est Romæ a S. Fabiola nobili Matrona Romana, quæ ibidem suis sumptibus nosocomium extruxit.

P

P*allium* in Sacerdotio Legis Hebraicæ fuisse Summi Sacerdotis superumerale insigne constat. *Exod*.28. Quapropter ad illius imitationem Summus Pontifex in Lege Evan-

gelica

gelica illo solus uti consuevit. Ex indulgentia Pontificum Metropolitis Pallii concessus est usus: hanc indulgentiam primus concessit Marcus Papa Episcopo Ostiensi. Pallium autem de quo hic agitur est ex lana contextum, utpote significans Pastorem, ovem aberrantem quærentem, & inventam umeris suis super impositam.

Panis. Cum pane azimo utatur Ecclesia Latina in Sacrificio Missæ, quærendum videtur quando ejusdem ritus invaluerit. Quoad usum panis azimi extra Sacrificium; prævidente Deo filiis Israel, urgentibus Ægyptiis eorundem discessum, tempus defecturum ut sibi possent providere pro eorundem alimonia itineris tempore fermentatum, creditur quod per Moysen eos monuerit, & docuerit secum deferre farinam, ex qua sibi panem azimum in via possent conficere, qui cum minus suavis sit fermentato, ideo vocatus est panis afflictionis; & quia hoc pane azimo præcepit Deus ut per septem dies semper uterentur in Pascate, hinc factum est, ut celebrante Christo primum Sacrificium in die azimorum, confecerit in pane azimo; & hinc est quod usus azimi panis pro Srcrificio, a prima Sacrificii institutione semper invaluerit.

Pascha. Qui de tempore, & die celebrandi Paschatis, scripserunt constanter asserunt ab Apo-

Apoſtolis Petro & Paulo Romanam Eccleſiam ſuam auſiſſe doctrinam. Videatur *Socrates hiſt.* 21. *Euſebius lib.* 5. *hiſt.* 22. Pius Papa de celebratione Paſchatis die Dominico poſt Decimam quartam lunæ Martii primus decretum edidit, inherens traditioni Apoſtolicæ: ita refert Euſebius.

Pontifex. Pontificatus initium, ſive primus Pontifex fuit Aaron frater Moyſis a Moyſe ipſo viſibiliter, ſic Deo præcipiente, conſecratus; & in ejus ſucceſſione Sacerdotium & Pontificatus permanſit: figuratus eſt in Aarone Petrus, cui & ſuis ſucceſſoribus Chriſtum Eccleſiam ſuam gubernandam commiſit. *Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum Sacerdotii. Num. cap. 3. verſ. 10. Separatuſque eſt Aaron ut miniſtraret in Sancto Sanctorum. 1. Paralip. cap. 23. verſ. 13. Tu autem & filii tui cuſtodite Sacerdotium veſtrum. Num. c. 18. verſ. 7.*

Porticus. Atrium ſive porticus exterior ut plurimum conſtruitur ante magnificentiores Baſilicas. Hujus conſtructionis origo deſumpta eſt ex atrio, quod Salomon præpoſuit Templo a ſe Hieroſolymis conſtructo. Hæc porticus in prima deſtructione templi evaſit ruinas, & ſuperſtes conſervata, in reedificatione templi tempore Zorobabelis iterum novo templo excitato unita, ſemper nomine atrii Salomonis inſignita fuit:

quia

quia de facto eadem erat a Salomone constructa, quapropter in hac ambulasse Christum docentem populum innuit Evangelium.

Præfationum in Missa quis fuérit auctior, vide pag. 259.

Q

Quadragesima. Jejunium Quadragesimale Apostolicam esse institutionem asserit Hieronymus ep. 54. ad Marcel. S. Leo Papa Serm. 4. 6. 9. de Quadragesima. Theophilus Alexandrinus constanter ait ex ipsa Evangelica traditione fuisse institutum: Tam ex Scriptura, quam ex traditione majorum præscriptum, scripsit Tertullianus cap. 13. adversus Psych. Gregorius Nazianzenus epist. 74. appellat *divinam legem.*

Quatuor anni tempora. Jejunat Ecclesia, Vere in Quadragesima, Æstate in Pentecoste, Autumno mense Septembri, & Hieme mense Decembri. Hæc jejunia ex doctrina S. Spiritus, & ex Apostolica institutione sumpsisse principium asserit S. Leo Papa Sermone de jejunio mensis septimi.

Re-

R

Regula *Ecclesiæ*, id est regula quam servat Ecclesia circa directionem eorum quæ indispensabiliter necessaria sunt ad promovendam & sustinendam fidem Catholicam & Apostolicam, est antiquior quocumque Concilio; procedit enim non ex alicujus Concilii auctoritate, sed ex ipsa Apostolorum traditione; immo ex auctoritate ab ipso JesuChristi tradita D. Petro & successoribus ejus; Esto quod de Regulis essentialibus fidei in diversis Conciliis œcumenicis sancita sint decreta. Hinc tamen non debet inferri quod hujusmodi regulæ suum habuerint initium a tempore Concilii, in quo de præfatis regulis decreta sancita sunt, sed exordium, ut jam diximus, sumpserunt ab ipso Christo Domino in carne visibili cum Apostolis conversante, eosque docente omnia quæ ad Catholicam fidem stabiliendam erant necessaria. Utque aliquo exemplo ea quæ hic dicimus clarius exprimantur; pauca ad rem subnectenda esse arbitramur.

Certum est V.G. inter essentiales regulas fidei adstipulari numerum librorum canonicorum Sacræ Scripturæ. Circa hunc numerum cum sint exortæ variæ controversiæ, Ecclesia in Conciliis congregata sancivit circa præfatum numerum, & declaravit

qui

qui nam sint libri habendi, quique non habendi pro Canonicis; ut imposterum quæcumque circa numerum Canonicorum librorum dirimerentur controversiæ. Nihilominus positis his decretis, dicendum non est quod libri Canonici cæperint ut tales haberi tempore, quo in Conciliis circa eorum numerum sancitum est decretum; nam libri sacræ scripturæ, quotquot inter Canonicos adstipulantur, jam erant Canonici a tempore Apostolorum, imò a tempore quo scripti fuerunt; quia dictante Spiritu Sancto conscripti sunt. Ecclesia autem in Conciliis congregata, prefigendo numerum librorum Canonicorum, simpliciter declaravit qui, & quales a tempore Apostolorum libri essent Canonici. Ex dictis clare infertur quod regulæ essentiales fidei, de quibus actum in Conciliis Œcumenicis suum non habuerunt initium a tempore Conciliorum, in quibus de præfatis regulis ad dirimendas natas controversias est actum, sed suum habuerunt exordium a prædicatione Christi, & a traditione Apostolica. Itaque aliquo interrogante V.G. quando libri Sacræ Scripturæ ab Ecclesia recepti cæperunt esse Canonici, non est respondendum quod tales esse cæperint à tempore Nicænæ Synodi, in qua de numero Canonicorum librorum actum est, sed a tempore Apostolorum, quodq. Nicæna Synodus

per suum decretum non dedit Canonicitatem libris, sed declaravit simpliciter qui nam essent libri qui à tempore Apostolorum recepti fuerant ab Ecclesia tamquam Canonici.

Reliquiæ. Sanctorum Reliquiis cultum prestare, aperta miracula quæ ex prestito hoc cultu, ad glorificandum Deum, qui mirabilis est in Sanctis Suis, patrata sunt, docuerunt Christifideles. Cæperunt autem hæc miracula innotescere ex Sepulcro Elisei: itidem in lege gratiæ actor. Apostol. 15. legimus Sudaria & semicinctia Pauli posita super infirmos expulisse ab eis languores, & malignos spiritus: Quantum autem per cultum prestitum Reliquiis Sanctorum a nascente Ecclesia usq. in hodiernum diem Glorificetur Deus in Sanctis Suis, fidem indubiam faciunt Ecclesiastica monumenta.

Rogationum prima institutio: vide pag.274.

S

SAcrum Trisagion Cantandi Origo: vide pag. 307.

Salis benedictio: vide pag.278.

Sepulcrum. Ritus construendi sepulcrum feria quinta in Cœna Domini ad recundendum in illo Sanctissimum Sacramentum sive Corpus Domini, quo tempore sua noverit primordia: vide pag.287.

Non

Non modo autem hic Ritus invectus & inventus ab inenarrabili priscorum Monacorum pietate ad excitandam in fidelibus devotionem, sed etiam plures alii sacri Ritus, qui postmodum ab auctoritate Ecclesiæ approbati in toto Orbe Catholico fuerunt recepti, quippe qui devote adstantium mentes ad Christianam pietatem,& ad ferventiores actus fidei, spei & caritatis exercendos inflammant. Hujusmodi pre cæteris est celebritas festi S. Sacramenti, ad quam promovendam, multis præcedentibus revelationibus a Deo destinatam fuisse S. Julianam Sanctimonialem Cisterciensem asserunt Lectiones eius officii a Sacra Congregatione Rituum approbati. Festivitas hujus S. Virginis, quæ ante & post obitum fuit pluribus miraculis clara celebratur die quinta Aprilis; vocata est autem ad cælestis sponsi nuptias dum in Ecclesia orabat coram venerabili Eucharistia, nonis Aprilis, anno Domini 1257. Monachis etiam debetur Ritus commemorationis omnium Fidelium defunctorum prima die post festum omnium Sanctorum. Hanc solemnem commemorationem [ait Martyrologium Romanum] Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis in suis Monasteriis primus fieri præcepit, quem Ritum postea universalis Ecclesia recipiens comprobavit: Sed omnes Ritus a Monachis institutos ab Ec-

clesia receptos & comprobatos referre, seriem nimis prolixam protraheret.

Suffragia: Pro defunctis fieri cepisse suffragia ab ipsa Mosaycæ legis istitutione constans est omnium piè sentientium opinio: quod si inter Judæos acceptus non fuisset hic sensus, quod scilicet suffragia vivorum prosunt defunctis, certe Judas Machabæus non misisset Jerosolimam decem millia dracmas argenti ut offerrentur Sacrificia pro expiatione defunctorum. Satis nota omnibus est historia: hinc evincitur quod Judei asserebant immortalitatem animæ, corporis resurrectionem, purgatorii existentiam, & pœnarum purgatorii remissionem per orationes, eleemosynas, atque sacrificia obtineri: Manum itaq. ori imponant hæretici, qui assertionem purgatorii, novum asserunt esse in Ecclesia Romana adinventum, pro augendo Ecclesiasticorum marsupio.

Symbolum. Apostolorum dictum, quando, a quibus, & ubi compactum sit novimus per ipsam traditionem Apostolicam. Apostoli per orbem priusquam dividerentur Evangelium propagaturi, Symbolum unanimiter composuerunt, in quo totius Catholicæ fidei Mysteria credenda colliguntur, illudq. non scripto sed verbo tradiderunt omnibus credentibus, a quibus successive propagatum ad posteros. Hæc autem Myste-

ſteriorum credibilium collecta, quod idem eſt ac Symbolum dictum Apoſtolorum, facta eſt anno a Nativitate Chriſti 44. ab ejus conſumata paſſione 12. hujus noſtræ aſſertionis veritas cumprobatur auctoritate D. Hieronymi ep.61. Ambroſii ep.81. Auguſtini de Fide & operibus cap. 9. & plurium aliorum antiquorum Patrum.

Cum vero ex Myſteriis primariis credibilibus Religionis Catholicæ unum ſit exiſtentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, quæri hic poſſet cur de hoc Myſtero nulla in Symbolo facta ſit expreſſa mentio. Sed quia hoc Myſterium ab initio inſtitutionis Venerabilis Sacramenti Euchariſtici firmiter fuit ſpeciali prerogativa fidei in cordibus primorum credentium a Chriſto infixum, de ipſo tamquam irrefragabili Myſterio nullam in Symbolo faciendam eſſe mentionem explicitam cenſuerunt Apoſtoli. Dici etiam poteſt quod cum inſtitutio hujus Sacroſancti Myſterii ſit Sacramentum, & omnia Sacramenta ſint Sacrum Myſterium a Chriſto inſtitutum ad Conferendam gratiam, medio aliquo ſigno ſenſibili, repræſentante exterius effectum quod gratia operatur interius inviſibiliter in anima, cumque Ritus quibus operari debebant hæc ſigna ſenſibilia, ſtabiliendos Chriſtus reliquiſſet Eccleſiæ ſuæ; & quando Apoſtoli Symbolum compoſuerunt nundum Eccleſia Ritus qui-

bus ſigna ſenſibilia Sacramentorum operari debebantur ſtabiliſſet, ideo de Sacramentis nullam fecerunt expreſſam mentionem Apoſtoli in Symbolo; quamvis dici poſſit quod fecerint de iiſdem mentionem implicitam, quando quidem præceperunt credendum eſſe in unam Sanctam Eccleſiam Catholicam, ſcilicet credenda eſſe illa omnia quæ Eccleſia Catholica credenda & agenda fore progreſſu temporis expreſſe preſcripſiſſet: cumque plures Ritus Liturgicos, cum quibus perficienda eſſent Sacramenta, Eccleſia vel per ſummos Pontifices, vel in Conciliis congregata preſcripſerit poſt deceſſum Apoſtolorm, ideo de ſacris Myſteriis non modo Euchariſtiæ, ſed etiam cæterorum Sacramentorum, in Symbolo Apoſtoli ſervarunt ſilentium. Alia itidem ratio ſervati ſilentii ſive non factæ mentionis explicitæ de Sacramentis in Symbolo eſt; quod cum Chriſtus eodem modo procedere voluerit in collatione vitæ ſpiritualis ſcilicet gratiæ, quæ per Sacramenta in anima infunditur, quo proceſſit in collatione vitæ temporalis, ad quam plura ſucceſſive concurrunt, nempe nativitas, nutritio, aquiſitio virium, earundem cum deperduntur reparatio, cum pluribus aliis ſubſidiis, quæ omnia ſimul haberi nequeunt, ſed tantum ſucceſſive miniſtrantur; ita etiam pari proceſſu voluit

luit

luit nobis vitam conferre Spiritualem media Sacramentorum susceptione, quæ cum omnia simul suscipi nequeant, opportuno tantum tempore ministranda occurrunt ad vitam spiritualem aquirendam, fovendam & conservandam, juxta præscriptum ab Ecclesia progressu temporis faciendum: & cum tempore quo actum est Symbolum, nondum Ecclesia circa Ritum ministrandi Sacramenta, quæ agenda occurrerent prescribere potuisset, ideo de Mysterio Sacramentorum in Symbolo ab Apostolis nulla expressa facta est mentio,

Subdiaconatus Ordinis antiquitas: vide pag. 242.

T

Tonsura in Clericis auctoritate Apostolica introducta, in Concilio Carthagin. 4. per Canonem formaliter præscripta. Consule Baronium: vide quæ dicta sunt pag. 3.

Tractus qui in Missa dicitur post Epistolam instituitur: vide pag. 306.

Tunicæ usus quando concessus fuerit Subdiaconis: vide pag. 310.

V

Vestes Sacerdotales habituum Sacerdotalium materiam, figuram, & ornatum præscripsit Altissimus Moysi *Exodi* 28. , & 39.

& 39. ad earundem vestium fere normam vestes induunt Sacerdotes Evangelicæ legis: quapropter quando invaluerit earundem usus, satis aperte patet ex dictis. Vestes quibus utuntur omnes Sacerdotes sunt sex. Amictus, Alba, Zona sive Cingulum, Manipulus, Stola, Casula. Dictarum vestium mysticas significationes abunde proferunt omnes auctores Liturgici; inter quos, pro suæ excellentia pietatis & Doctrinæ Cardinalis Bona, quas significationes, si, ut par est, seria mente revolvat Sacerdos, cum celebraturus vestimenta induit, utique devotus ad altare accedet, compunctus ab altari recedet; excitabitur insuper ad sacra peragenda cum uberrimo sui ipsius spirituali fructu, & adstantium summa cum edificatione, si non ex consuetudine & præcipitanter, sed ex devotione & graviter proferat singulas Orationes, quas unicuique vestimento Ecclesia aptatas precipit recitandas, Quia verò potest contingere, quod præsens opusculum incidat in alicujus manus, qui sit de Mystica significatione vestium Sacerdotalium jejunus; ne fraudetur a desiderio quod forte posset in eodem excitari, intelligendi præfatas Mysticas significationes; ex multiplicibus quæ proferuntur unam, aut alteram ad unumquodq. vestimentum accomodam censui hic subnectendam: & ut ab Amictu detur exordium. AMI-

Amictus.

Sacerdos ad altare ingreſſurus operit *Amictu* caput, ut repræſentet Chriſtum qui divinitatem ſuam abſcondit in carne; & ut diſcat quod Sacrificaturus totum ſe debet abſcondere in ſui compunctione cordis, nullumq.divagationi ſenſuum tempore ſacrificii aditum reſerare.

Alba.

Impoſito amictu *Albam* veſtit, & hæc ſignificat Evangelicæ legis, quàm Chriſtus docuit candorem, qui eſt candor lucis æternæ. Hunc candorum debent in ſuis actibus Sacerdotes ab omni nevo immunem cuſtodire.

Zona.

Albam præcingit *Zona*, quia ſicut de Chriſto ſcriptum eſt, *erit iuſtitia cingulum lomborum ejus*; ita Sacerdos qui Chriſtum repræſentat, ſemper cingulo juſtitiæ, fidei, & puritatis debet apparere præcinctns.

Manipulus.

Manipulus quem levæ Sacerdos applicat, denotat cum ſpirituali gaudio eſſe ſibi ſerviendum Eccleſiæ, ut de omnibus Sacerdotibus dici valeat. Venient cum exultatione portantes manipulos ſuos, recepturi mercedem laborum ſuorum.

Stola.

Stola quæ Sacerdotis collum circundat, & in

in crucis formam dispofita descendit super pectus, denotat quancumque crucem, quam nobis Deus imponere decreverit, viriliter, & cum rassegnatione esse ferendam, ad imitationem Christi, qui factus est obediens usque ad mortem crucis.

CASULA.

Super omnes vestes postremò Sacerdos induit *Casulam*, quæ denotat vestem nuptialem quæ est caritas, dignis ornata moribus, sine qua nemo introducitur ad spirituales nuptias, quas repræsentat mensa Eucaristica.

Vestes Pontificales. Pontifex sive Episcopus præter Vestes omnibus Sacerdotibus communes, aliis etiam peculiaribus ornatur Vestibus, quarum nomina [*Exod.* 28. & 39.] commemorantur, & forma describitur, Moysi à Deo ipso præscripta: ad earum imitationem Ecclesia Christi suos ornat Pontifices, cum debent agere pontificalia; quapropter Novatores, non nisi temerè blaterant, vestes Sacerdotum & Pontificum auro, & gemmis ornatas umanum esse adinventum ad fovendam superbiam, quandoquidem Deo præcipiente usus non modo auri & argenti, sed etiam gemmarum in ornandis vestibus Sacerdotalibus invaluit, sicut constat (*Exod. cap.cit.*) ubi de duodecim gemmis diversorum generum

ad

ad ornatum vestium pontificalium ex Dei prȩcepto fit sermo.

Uvarum benedictionis antiquitas: *vide pag.318.*

Cum autem solemnium benedictionum quæ ab Ecclesia fiunt coram populo, una sit Cinerum, alia Ramorum olivæ & palmarum, de antiquitate præsentium benedictionum aliquid hic differendum: & primo quoad usum benedicendi cineres spectat: quando & unde hic usus suam habuerit originem videre est apud Martene Cap. IX. inscripto de capite jejunii: ubi huic institutioni afferit locum dedisse consuetudinem in primitiva Ecclesia receptam, per quam in capite jejunii publici pœnitentes ante fores Ecclesiæ se repræsentabant Episcopo sacco induti, nudis pedibus, & Episcopus pro eorum absolutione, septem Psalmos Pœnitentiales cum præsbyteris decantabat: postmodm cineres super capita pœnitentium spargebat, & aqua benedicta aspergebantur; pluraque alia ad excitandos pœnitentes ad veram contritionem peragebat. Ex his sola remansit consuetudo imponendi cineres super capita fidelium, qui cineres priusquam imponerentur super capita pœnitentium solemniter, sicut adhuc impresens fit, benedicebantur. Quoad benedictionem autem Ramorum olivæ, quæ fit in Dominica di-

cta

cta in Palmis, quando hujus benedictionis usus in Ecclesia fuerit introductus, evidenter probare valdè est difficile; hunc tamen usum in memoriam ingressus in Hierusalem facti a Christo Domino, cum ei obviam facti sunt pueri, & tota plebs hæbrea sternentes vestimenta sua, & palmas elevantes manibus,esse antiquissimum in Ecclesia, satis ex eo constat quod de hac benedictione & processione diffusè agitur in manuscriptis consuetudinibus Monacorum, & in Statutis Lanfranci, in quibus etiam de modo exequendi mandatum, sive lotionem pedum in feria quinta majoris hebdomadæ varij observantur ritus a Patre Edmondo Martene relati.

Vigilia Natalis Domini: Hanc noctem in vigilia Nativitatis Salvatoris nostri D. J. C. pertranseundi ferè totam insomnem, morem antiquissimum fuisse, & esse adhuc in præsens Monacorum, non modo divinas Laudes, sed Missam in noctis meditulio solemniter celebrantium, constat ex consuetudinibus S. Dionysii in Gallia: idemque testificat Ordinarium Cassinense. Hanc autem consuetudinem celebrandi in Vigilia Nativitatis Domini in media nocte jam invaluisse in Ecclesia, potissimum Romana, ante Monachorum institutum facilè eruitur ex gestis Romanorum Pontificum;

sed

ſed & Nicomediæ in Chriſti Natali ſub Diocletiano multos Catholicos qui convenerant ad Domini natale celebrandum in Eccleſia fuiſſe igne conſumptos, & meruiſſe naſci in cælis, eo die quo Chriſtus naſci pro ſalute mundi dignatus erat in terris, teſtatur Martyrologium. Certiſſimum autem eſt Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ conſueviſſe nocturno tempore ſurgere, & convenire in Eccleſia ad offerendum Deo ſacrificium laudis. Quod eo magis præſtitiſſe in nocte Natalis Domini credendum eſt: apud Monacos à Monachiſmi exordio uſque ad hæc tempora in omibus Monaſteriis, in quibus viget obſervantia Monaſtica, ſemper in media nocte vigiliæ Nativitatis Domini, ſolemnis ab Abbate Miſſa celebratur. In mea Congregatione ab hora quinta noctis ferè uſque ad horam decimam vigilant Monachi pſallentes nocturnum officium, Miſſam ſolemnem, & laudes, poſt quas per duas circiter horas cum dimidià quieſcentes, iterum excitantur ad Chorum, in quo horam primam concinunt, & ſtatim ſecundam Miſſam in aurora dictam celebrant.

Vexilla deferendi uſus in proceſſionibus. *Vid. pag.* 314.

Votum. Primus omnium Deo votum nuncupavit Abraham, cum expergefactus à mirabili

bili ſomno, lapidem quem ad dormiendum capiti ſuppoſuerat erexit in titulum, vovens ſi reverteretur cum ſalute &c. videatur *Gen. cap.* 28. Votum autem eſt promiſſio de meliori bono facta Deo. Cui laus & gloria in perpetuas æternitates.



OPU-

OPUSCULI TRIPARTITI

PARS TERTIA.

LECTORI.

Subſannabit quis fortè præſentis Tripartiti Opuſculi auctorem, quaſi præſumentem, potiſſimum in hac tertiâ parte, erudire minervam, cum ibidem verba quæ in pſalmodia occurrunt, quorum ſenſus non eſt ſtatim omnibus legentibus obvius, ad ſuum genuinum ſenſum revocandi, ab expoſitoribus ſacris collectum, provinciam aſſumpſerit; ceſſabit autem ſubſannatio, ſi ea, quæ in prima epiſtola ad Lectorem prænotata exponuntur, unico ſuo vel levi, & tranſitorio benigno intuitu dignare ſibi complaceat, atque reflexu. Sibi non aliis hæc documenta collegerat Auctor ingenuè profiteri non erubeſcens, ſæpè numero ſibi contigiſſe in recitatione Divini Officii, plura profferre, quorum intelligentiam ſtatim non habebat ſatis perſpectam, quam ut acquireret ad claſſicorum Scriptorum, Sacræ Scripturæ interpretum fontem reccurrens, hanc compendioſam difficiliorum periodorum, aut verborum in pſalmodia occurrentium, explanationem auſit, ad quam in emergentibus difficultatibus pro ſaniori intelligentia poſſet re-

cac-

currere. Publici juris facta hæc collectio si fortè in alicujus incidat manus, qui in intelligentia prædictorum, quemadmodum & auctor, tarditate laboret ingenii, nec statim obvium habeat verborum, quæ proffert in psalmodia intellectum, opportunum sui intellectus tarditati hic inveniet subsidium, absolutus a labore, & ab onere congregandi in unum, quæ ad rem hic collecta exhibentur. Hæc tibi me proffari debere arbitratus, umanissime Lector, diutinam tibi a Deo incolumitatem exoro



OPU-



OPUSCULI TRIPARTITI

PARS TERTIA

Continens brevem dilucidationem Verborum & Periodorum quorumdam in Psalmis Davidicis, & Hymnis Officii Ecclesiastici occurrentium quorum genuinus sensus non est statim omnibus obvius.



PSALM. 2. vers. 4. *Et Dominus subsanabit eos*. Subsanatio est irrisionis species, quæ fit rugata fronte: ità Hieron. & Augustin. metaphorice Deo tribuitur, quod solius hominis est proprium.

Psalm. 5. v. 11. *Sepulchrum patens, est guttur eorum*. De simulatoribus est sermo, qui dum aliquem adulantur, vellent si possent vivum deglutire, in mortem tradere, & sepellire. *Lyranus*.

Psalm. 7. vers. 14. *Et in eo paravit vasa mortis*: vasa mortis sunt instrumenta excogitata, & fabrefacta ad interficiendum. *Lyran. ibid.*

Vers. 15. *Ecce parturiit injustitiam, conce-*

pit dolorem , & peperit iniquitatem Ordo præpoſterus , inquit Nicolaus de Lyra , quia conceptio præcedit parturitionem : Literaliter Saul concepit dolorem adverſus David , ex invidia dolens , quod publicè diceretur : *Percuſſit Saul mille , & David decem millia* : parturiit injuſtitiam , quando invaleſcente invidiæ dolore , filiam ſuam Davidi conceſſit , ut eum ruere faceret gladio Filiſtinorum ; peperit autem iniquitatem , quando aperte , & manifeſte eum perſequebatur , & interimere conabatur . Moraliter qui malus eſt ex Diaboli ſuggeſtione concipit voluntatem peccandi , propter quam dolores inferni certiſſime ſubſequuntur ; parturit autem per conatum adimplendi , parit vero in actu peccandi .

Pſalm. 9. verſ. 7. *Periit memoria eorum cum ſonitu* . Cum impietas evertitur fit ſtrepitus , inquit Auguſtinus , quia nemo pacem conſcientiæ acquirit , niſi qui magno ſtrepitu , ſcilicet labore & conatu pugnat cum vitiis : vel ut interpretatur Lyranus : periit memoria idololatrarum cum ſonitu prædicationis Apoſtolorum .

Pſalm. 11. verſ.7. *Eloquia Domini eloquia caſta* : id eſt ſine macula falſitatis *argentum igne examinatum* , *probatum terræ* : inſinuatur infallibilis certitudo Verbi Dei, ſummaque ejus puritas . Sæpius in ſcripturis adducitur

hæc

hæc comparatio *purgatum septuplum*: id est perfectissimè per Spiritum septiformem: *ita Augustin.*

Psalm. 13. vers. 1. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*. De Nabucodonosor, & Sennacherib, qui verum Deum blasphemando negabant interpretatur præfata verba Lyranus, & universum hunc Psalmum. Moraliter intelligendus est de omnibus in malo obstinatis, & obcœcatis, inter quos nec unum est reperire, qui faciat bonum aliquod meritorium.

Psalm. 15. vers. 7. *Insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Alia litera habet: *erudierunt.* Renes ex Glossa ordin. sunt Judæi, qui secundum carnem erant de Christi consanguinitate, quique usque ad noctem Passionis, & usque ad mortem Christi Jesu, contumeliis, opprobriis, increpationibus eum affecerunt. Moraliter renes sunt Doctores S. Ecclesiæ, eo quod in ipsis adsit virtus progignendi filios spirituales: hi profecto non cessabunt usque ad noctem, id est usque ad finem mundi erudire mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia. *Lyranus.*

Vers. 10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*, id est in Limbo Sanctorum Patrum, ubi per solas triginta novem horas anima Christi commorata est: *Lyranus.*

Pſalm. 16. verſ. 14. *Et ſupplanta eum*, id eſt ſubverte, cohibe, proſterne, *ita ex Græco*.

Pſalm. 17. verſ. 3. *Et cornu ſalutis meæ*. Multipliciter cornu ſumitur in ſcripturis, vel pro fortitudine, vel pro imperio, vel pro exercitu, vel pro ſuperbia, vel pro majeſtate, gloria, potentia, valida defenſione, efficaci auxilio &c. hic vero ſumitur pro certiſſima ſalute.

Verſ. 51. *Et faciens miſericordiam Chriſto ſuo David*: Reges apud Hebræos dicebantur Chriſti, id eſt uncti oleo. Hic David dicitur Chriſtus, quia expreſſa Dei juſſione unctus fuit; & præſertim quia fuit progenitor Regis Regum Domini noſtri Jeſu Chriſti. David interpretatur Dilectus.

Pſalm. 18. verſ. 1. *Dies diei eructat verbum*, *& nox nocti indicat ſcientiam*. Moraliter *Dies*, id eſt Angelus ordinis ſuperioris, *diei*, id eſt Angelo ordinis inferioris, *eructat verbum*, id eſt exhibet multam invitationem ad Dei laudes: *& nox*, ideſt homo in hujus ſeculi caliginoſo diſcrimine poſitus, *nocti indicat ſcientiam*, ideſt proximorum corda ad Dei laudes inſtruit, & inflammat: *ita Gloſſa*.

Verſ. 14. *Et emundabor a delicto maximo*. Maximum delictum ex Auguſtino eſt ſuperbia, ex D. Bernardo eſt conſenſus formalis ad peccatum mortale, ex aliis eſt Apoſtaſia; communiter impœnitentia finalis.

Pſalm.

Pſalm. 19. verſ. 13. *Quoniam pones eos dorſum.* Ponere dorſum idem eſt ac aliquem in fugam agere, vel flagellis in dorſo cedere.

Pſalm. 20. verſ. 8. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Eſt emphaſis poetica, qua Propheta impios, & peccatores, in extrema Chriſti manifeſtatione, diſtrictoque judicio in Gehennæ igne æternaliter involuendos eſſe denuntiat *Gloſſa*.

Pſalm. 21. verſ. 12. *Circumdederunt me vituli multi.* (Verba Chriſti in nocte ſuæ Sanctæ Paſſionis) ideſt milites qui eum compræhenderunt. *Tauri pingues*: ideſt Principes Sacerdotum, Scribæ, & Phariſæi, quos cœleſti doctrina adimpleverat Chriſtus, & beneficiis. *Ita Juſtinus*.

Verſ. 21. *Erue a phramea*, ideſt a gladio, vel ab iniquis enſes abſtringentibus; *animam meam*, ſcilicet vitam. Sumitur pars nobilior ad ſignificandum totum compoſitum. *Et de manu canis*, ideſt Pilati, qui utpote gentilis dicitur canis, canis autem apud Hebræos computabatur inter animalia immunda. *Unicam meam*. Scilicet vitam, quæ ſcilicet homini unica eſt, vel etiam animam proprie ſumptam.

Verſ. 22. *Salva me ex ore leonis*, id eſt Herodis, vel Caiphæ, vel etiam ipſius Romani Imperatoris; cujus vices gerebat Pilatus in Judea, *& a cornibus unicornium*: Similitudo deſumitur a Monocerote, vel

Rinocerote, qui uno tantummodo cornu ſunt præditi. Ita ſentientibus Dione, Eliano, Plinio.

Pſalm. 22. verſ. 2. *Super aquam refectionis educavit me.* De Chriſto Paſtore univerſalis Eccleſiæ interpretatur hic Pſalmus; quemadmodum enim Paſtor ovibus ſuis de Paſquoſis locis, deque aquarum potu proſpicit ad earum congruam refectionem; ita Chriſtus animam rationalem enutrire non deſinit juxta Fontes Spiritus Sancti ac fluenta Scripturarum Sanctar um: *Janſenius.*

Pſalm.26. verſ.7. *Unam petii a Domino hanc requiram*: id eſt unam rem, quæ eſt autem iſta res? Domus æterna, inquit Auguſtinus, ubi dies æterni numquam inclinantur, ubi jucunda Dei viſio beatos facit habitatores.

Pſalm.28.verſ.6. *Vox Domini intercedentis flammam ignis.* Literaliter loquitur Propheta de Aarone, qui eo tempore quo Deus incendium miſit ſuper filios Iſrael in Deſerto, & abſumpſit Core, Datan, & Abiron, cum multis aliis de populo, obtulit Thymiama, & inter vivos, & mortuos incedens, Deum pro populo depræcabatur. *Lyran.* Miſtice intelligitur de Sanctis Martyribus, qui Verbo Domini confirmati, per medias flammas inceſſerunt illeſi;multoſque gentiles mirabili hoc facto converterunt ad veram fidem. Verſ.

Verſ. 8. *Commovebit Dominus deſertum Cades*. Cades eſt nomen deſerti quod a monte Sinai uſq. ad urbem eodem nomine Cades dictam trium dierum ſpatio protenditur. Dicitur etiam deſertum pharan, & interpretatur *Sanctitas*.

Pſalm. 29. verſ. 12. *Conſidiſti Saccum meum* pro ſacco intelligit D. Auguſt. Sacram Chriſti Domini humanitatem : nec) ait S. Doctor) tibi vileſcat quod dicit Saccum, ibi enim erat incluſum prætium tuum.

Pſalm. 31. verſ. 12. *In camo, & fremo maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te*. Camus eſt funis qua ora mulorum circonligantur: juxta Eſichium eſt fiſcella ex vimine compoſita, qua ora bovum, & mulorum obſtinguntur ne alio divertant.

Pſalm. 32. verſ. 17. *Falax equus ad ſalutem in abundantia autem virtutis ſuæ non ſalvabitur*. Moraliter equus (ait Caſiodorus) eſt corpus hominis qu antumque robuſtum, tamen fallax eſt ad ſalutem corporalem, ſive etiam Spiritualem. Vel ut inquit Auguſt. Equus eſt mondana felicitas, quæ homines quodammodo vehit, & dum nimis properat, cadit ad ſimilitudinem equi, & ſeſſorem perdit.

Pſalm. 34. verſ. 17. *Quaſi proximum, & quaſi Fratrem noſtrum ſic complacebam*. Eſt idiotiſmus hebraicus, quo ſumitur caſus pro caſu, & equivalet. Quaſi de proximo

& de fratre nostro. Mystice verba sunt Christi, ac si diceret. Complacebam mihi de populo Judaico, ex quo secundum carnem natus sum, quasi de proximo, imo de fratre meo: *Glossa*.

Vers. 21. *Et Dilataverunt super me os suum, & dixerunt Euge, Euge*. Iste voces aliquando sunt hortatoriæ ad aliquid agendum, quemadmodum in Evangelio. Euge serve bone: Sæpe his vocibus uti solent qui sibi blandiuntur, & gandent de alieno malo, sicut hic in psalmo, & alibi passim.

Psalm. 35. vers. 8. *Filii hominum in tegmine* id est in protectione alarum suarum sperabunt. Alæ in hoc loco juxta Hyeron. sunt duo testamenta quibus teguntur homines, qui illis obediunt: vel ex Remigio sunt duo præcepta caritatis: vel ex Arnobio manus Christi in Cruce protensæ.

Vers. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ*. Orat hic justus ut potestas diaboli cujus peccatum superbia est non opprimat eum, nec dominetur ejus. *Glossa*.

Psalm. 36. vers. 37. *Vidi impium superexaltatum*. Nomine impii designantur oppressores justorum, qui justo Dei judicio brevi in inferno demersi evanuerunt: *Glossa*.

Psalm. 38. vers. 7. *Verumtamen in Imagine pertransit homo*. est comparatio vitæ præsentis, quæ fugax est, cum vita æterna: ita S. Thomas ex Orig.

Psalm.

Pſalm. 41. verſ. 2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*, ſic legi debet, non vero, ut multi legunt, ad Deum fontem: *Ita Lorinus*, *& alii*.

Verſ. 6. *Effudi in me animam meam* animam effundere idem eſt ac maximo perfundi gaudio. Sicut anguſtia animum conſtringit, ſic letitia diffundit. *Vgo iVƐtor*.

Verſ.6. *Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis*. Locus tabernaculi eſt Jeruſalem. Dicitur admirabile quia mirabilia multa per tabernaculum operata ſunt. *Et Hermonim* id eſt habitantium juxta montemHermon:juxta hunc montem Baptizatus eſt Chriſtus.

Pſalm. 44. verſ. 10. *Myrra*, *& gutta*, id eſt ſtacten, & eſt Myrra diſtillata,Caſia eſt frutex aromaticus fragrans odore,proinde quid diverſum a communi Caſia.

Pſalm. 45. verſ. 4. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Alluditur ad Flumen Siloe qui Civitatem Jeruſalem dulci cum impetu perlabitur, gratoq. murmure lætificat. *Ita Janſenius*: Moraliter aquæ, id eſt virtus Baptiſmi lætificat Sacram Eccleſiam, quæ eſt Myſtica civitas & Tabernaculum Dei.

Pſalm. 46. verſ. 9. *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati ſunt*. Dii terræ ſunt Apoſtoli, & Doctores Eccleſiæ, qui prædicatione & Doctrina proficiunt Orbi ad ejus converſionem, exaltati ſunt a Deo, & honorificati, quando propulſatis Judæorum ſu-

superstitionibus & hæreticorum cavillationibus Ecclesiam Sanctam mirabiliter dilataverunt, & honorabilem reddiderunt: Cassiodorus:

Psalm. 47. vers. 9. *Conteres naves Tharsis*. Regio est Tharsis in India ad quam Salomon Classem mittebat, ut inde aurum argentum itinere triennali defferret.

Psalm. 48. vers. 5. *Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circundabit me*. De malis operibus quæ cuilibet homini clarè patebunt in morte hic est sermo.

Vers. 7. *Frater non redimit, redimet homo?* Si Christus qui frater noster effectus est secundum carnem in die judicii non miseretur impiorum, quis miserebitur eis?

Vers. 14. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*. Sermo est de impiis, qui quasi pecudes congregatæ, in stabulum ut mactentur, sic in inferno collocabuntur in pabulum mortis & ignis æterni.

Psalm. 57. vers. 3. *Alienati sunt peccatores a vulna erraverunt ab utero*. Aliqui adhuc in utero matris existentes, per aliqua indicia, sic permittente Deo, specimen præbuerunt eorum futuræ perditæ vitæ. Sic fuit de Esau: qui adhuc in utero matris existens impellebat fratrem suum Jacob: Intelligi potest moraliter de peccatoribus hic textus; hi siquidem abalienantur a vulua, & errant ab utero S. Matris Ecclesiæ,

ejus

ejus mandatis a prima sua juventure non obtemperantes.

Vers. 4. *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas*. Aspis est serpens vaferrimus, & adeo sui tenax veneni, ut aures jam ex se surdas obturet, ne ad voces incantantium venenum suum cogatur deponere. Est Symbolum impiorum qui renuunt derelinquere vias suas malas.

Vers. 11. *Priusquam intelligerent Spinæ vestræ rhamnum*. Sensus est antequam o peccatores Spinæ nostræ tenuiores, id est pravæ vestræ cogitationes, ad effectum reducantur, & ex tenuioribus Spinis evadant in duriores, scilicet in rhamnum. Rhamnus est genus Spineti in Spinas duriores sucrescentis. Nonnulli sentiunt ex rhamnis contextam fuisse Spineam Coronam Jesu Christi, alii & communiter ex junco marino.

Psalm. 59. vers. 6. *Lætabor & partibor Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar*. Sichima est Samariæ civitas, quæ dicitur Sichar, juxta quam conversa fuit mulier Samaritana. Convallis tabernaculorum est illa, quæ in Genesi vocatur Convallis illustris, id est Vallis Sochot, ubi Jacob declinans furorem fratris sui Esau, fixit tentoria propter iram fratris, Deo auxiliante declinatam lætatus est Jacob.

Vers. 7. *Meus est Gallaad*. Galaad est locus ille ubi Laban, & Jacob inierunt fœdus, in-

interpretatur accervus testimonii. *Meus est Manasses*, & Ephraim &c. Duæ tribus provenientes a duobus Filiis Joseph: *Juda Rex meus*. Tribus Juda, quæ præcæteris principatum habuit. *Moab ulla Spei meæ*. Regio Moabitarum. In Idumeam extendam calceamentum meum. Idumea est Regio & populatio ab Edom, hoc est Esau fratre Jacob denominata.

Psalm.62. vers.9. *Partes vulpium erunt*. Id est associabuntur, & fœdus habebunt cum hominibus fraudulentis, & in futuro cum Dæmonibus, qui vulpes dicuntur, propter insignem eorum calliditatem, & vaferrimas nocendi artes.

Psalm.63. vers.8. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Insinuatur hoc loco juxta Aignanum effectus prædicationis Evangelicæ post Christi Resurrectionem, & sensus est. Sagittæ parvulorum, hoc est efficacia verba Apostolorum, qui parvuli dicuntur propter eorum umilitatem, *factæ sunt plagæ eorum*, id est, penetraverunt corda superborum, sive Gentilium, sive Judæorum, & in eis effecerunt salutiferas plagas: eos reducendo ad veram Fidem.

Psalm.67. vers.13. *Rex virtutum dilecti dilecti, & speciei domus dividere spolia*. Rex virtutum, id est, Deus Pater, Dilecti Dilecti, id est, Filii sui Unigeniti incarnati, qui est speciosus forma præ filiis hominum, divi-

divisit merita, quandoque ex ejus meritis participant omnes qui salvantur, & in Domo Dei collocati speciosiorem faciunt Domum gloriosæ æternitatis, & Urbem cœlestis Jerusalem, in qua fulgebunt in perpetuas æternitates.

Vers. 14. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Ibi in spiritu prophetico, de Doctoribus S. Ecclesiæ sermonem habet Psalmista, indicans quod si Doctrinam suam auriant a duobus Testamentis, & in sola Doctrina quam duo Testamenta proferunt quiescant, tunc pennæ columbæ, id est Ecclesiæ Fides, & mores erunt deargentatæ puritate sapientiæ, & deauratæ fervore charitatis.

Vers. 15. *dum discernit cœlestis* (id est Rex Christus (*Reges*) id est Pastores Ecclesiæ) *super eam*, id est, qui vigilant ad Ecclesiæ custodiam, & incrementum doctrina, & prædicatione, tunc Fideles ex quibus Ecclesię corpus conficitur *nive dealbabuntur in selmòn*, id est purgabantur ab omnibus peccatorum sordibus, & instar nivis dealbabuntur, facti summe accepti oculis Domini Jesu, qui pascitur inter lilia: *In Selmon*. Selmon est mons in Tribu Ephraim juxta Jordanem, ingentibus nivibus coopertus. Mons pinguis est mons *Basan*, qui ob suam feracitatem *pinguis* interpretatur.

Vers. 18.

Verſ. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium Dominus in eis in Sina in Sancto*. De Chriſti triumphali Aſcenſione in Cælum profert David, deſcribens frequentiſſimum comitatum Sanctorum, & Angelorum.

Verſ. 23. *Ex Baſan convertam*. Baſan terra dominationis Og: & ſonat confuſio, dedecus, turpitudo.

Verſ. 27. *Prævenerunt Principes*, id eſt Apoſtoli, qui in die triumphalis Chriſti Aſcenſionis in monte Sancto cum Angelis de tanta feſtivitate lætantibus immixti, *in medio juvencularum tympaniſtriarum*, id eſt Sanctarum Mulierum, quæ Chriſto jugiter adhæſerunt, dum adhuc mortalis converſabatur inter homines, & poſt Reſurrectionem, quoad potuerunt ubique ſequi ſatagerunt; uſque dum in die Aſcenſionis, cum cæteris Apoſtolis inenarrabili exultatione perfuſæ, meruerunt Chriſtum videre aſcendentem in Cælis glorioſum.

Verſ. 28. *Ibi Beniamin adoleſcentulus*: id eſt, Saul qui erat de Tribu Beniamin.

Verſ. 29. Principes Juda, Principes Zabulon, Principes Nephtali, tres Tribus Iſrael, quorum Duces, & Principes pluries de hoſtibus populi triumphaverunt. *Judas* dicitur confitens. *Zabulon* habitaculum certitudinis. *Nephtali* Cervus emiſſus. Ita Bernard. relatus a Lorino.

Verſ. 32.

Verſ. 32. *Æthiopia præveniet*: id eſt Populi habitatores Orientalium plagarum, qui ob intenſiſſimum ſolis calorem nigri vocantur. Inde advenerant Eunuchus Reginæ, Candacis, primus ex Æthiopis per S. Philippum Apoſtolum Baptiſmo initiatus, ad veram Fidem converſus, prævenit manus ſuas Deo, cum baptizari poſtulans, Deum glorificavit.

Verſ. 33. *Increpa feras arundinis*: id eſt homines ferinis moribus præditos, qui velut arundines moventur omni vento, ad perpetranda peccata. *Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati ſunt argento*. Senſus eſt Principes Gentilium, & præcipue Romani Imperatores congregati ſunt poſt propagatum Evangelium, cum omnibus promiſcui ſexus Idolorum cultoribus, ad deſtructionem Chriſtianæ Religionis.

Pſalm. 70. verſ. 23. *Nam & ego confitebor tibi in vaſis Pſalmi*. Vaſa Pſalmi ſunt diverſa inſtrumenta muſicalia, quibus cantus Pſalmorum comitabantur gratiſſime Hæbrei, Pſalmos canentes.

Pſalm. 73. verſ. 14. *Contribulaſti capita draconum in aquis*. Literaliter dracones ſunt Ægyptii, qui in Mari Rubro ſubmerſi ſunt. Miſtice dracones ſunt dæmones, quorum ſuperba dominatio confringitur per aquas Baptiſmi.

Verſ. 15.

Verſ. 15. *Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam Populis Æthyopum.* Capita draconis ſunt omnes bellatores Pharaonis, qui ſubmerſi in Mari, dati ſunt in eſcam corvis. Miſtice capita draconis ſunt dæmones, dati in ludibrium gentium, poſtquam per Baptiſmum Gentiles exuerunt nigredinem infidelitatis.

Verſ. 16. Tu ſiccaſti fluvios Ethan, id eſt flumina Sodomæ, & Gomorræ, quæ in cinerem ſunt redacta. *Euthymius.*

Pſalm. 74. verſ. 7. *Quia calix in manu Domini vini meri, plenus miſto. Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fæx ejus non eſt exinanita.* Calix ibi deſignat validam, & inevitabilem vindictam, qua peccatores impœnitentes a Deo puniuntur: fæx hujus calicis, id eſt acerbitas punitionis non eſt exinanita, quia uſque ad cònſummationem ſæculi remanet in Deo virtus ad peccatores puniendos, ſecundum ordinem ſuæ juſtitiæ. *Lyranus.*

Pſalm. 77. verſ. 11. Filii Ephrem, id eſt ex Tribu Ephraim, præ omnibus tribubus experti in emiſſione ſagittæ.

Verſ. 13. *In Campo Taneos. Taneus* erat regio ſecus Nilum, quæ a Dani Civitate nomen habebat. *Herodotus.*

Verſ. 27. *Tranſtulit auſtrum de Cælo*, id eſt ventum Orientalem, & *induxit africum*, id eſt Meridionalem. *Ita Cajet.*

Verſ. 46.

Verſ.46. *Miſit in eos cœnomiam* : eſt cœnomia muſca canina, & etiam exprimit omne genus muſcarum.

Verſ.52. *Primitias omnis laboris eorum in Tabernaculis Cam* : ibi ſermo eſt de Ægyptiis, a Cam ſecundogenito filio Noe, a patre maledicto, deſcendentibus.

Verſ. 61. *Et repulit Tabernaculum Silo* : Silo eſt Urbs de Tribu Ephraim prope Bethel Tribus leucis a Jeruſalem diſtans, in qua manebat Arca Domini, quando in caſtra perducta fuit, & inde capta a Philiſteis.

Verſ.68. *Et repulit Tabernaculum Joſeph, & Tribum Ephraim non elegit*. Duæ Tribus à quarum ditione abſtulit Dominus Arcam fœderis, eamque in ditione Tribus Juda conſtituit ſub Davide Rege.

Verſ. 97. *Et edificavit Sanctificium ſuum in terra &c.* Sanctificium erat congregatio illorum hominum, quos peculiariter Dominus ad Sacra Tabernaculi miniſteria eligi præceperat.

Pſalm. 78. verſ. 2. *Poſuerunt morticinia* id eſt Cadavera.

Pſalm. 79. verſ. 1. *Qui deducis velunt ovem Joſeph*. Id eſt populum Iſraeliticum denominatum *Joſeph*, quia Joſeph in Egypto pavit reliquos fratres, a quibus derivavit omnis populus hæbraicus. Joſeph in-

interpretatur *augmentum Domini*.

Verſ. 2. Coram Ephraim, Beniamim, & Manaſſe: eſt Synecdoche, nam ſub hiſce Tribus Tribubus ſignatur univerſus populus Judaicus: Ephraim interpretatur *frugifer*. Beniamim *filius dexteræ*. Manaſſes *oblivio*.

Verſ. 15. *Exterminavit eam aper de Silva*. Apri nomine, hic juxta Chryſoſtomum intelligitur Nabuccodonoſor, qui e Babilone tamquam e Silvà iniquitatis contra electam vineam, ſcilicet populum hæbreum deſeviit: *Et ſingularis ferus*, id eſt Salmanaſar Rex Aſſyriorum.

Verſ. 18. *Et ſuffoſſa*. Terminus Suffoſſionis hoc loco ſignificat eradicationem, *ita Lorinus*.

Verſ. 19. *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper &c.* Literaliter de Beniamino, Myſtice de Chriſto Domino interpretantur hæc verba.

Pſalm. 80. verſ. 3. *Bucinate in neomenia tuba*. Tuba neomenia eſt qua clangebant Sacerdotes Kalendis cujuſq. menſis, & in feſtivitatibus. Tubæ ductiles erant malleo productæ: Corneæ ex cornibus animalium fabrefactæ, his omnibus tubis utebantur hebræi in feſto Tubarum, in principio ſeptimi menſis.

Verſ. 13. *Ibunt in adinventionibus ſuis*: Eſt male-

maledictio comminata a Deo contra male operantes in evidentem animarum suarum perditionem: Relinquendo eos in suis pravis inclinationibus obduratos. *D. August.*

Psalm. 82. Hic psalmus juxta Nicolaum de Lyra compositus fuit contra Sennacherib Regem Siriæ, vexantem Ezechiam Regem Juda, contra quem Sennacherib excitaverat populos multos.

Vers. 5. *Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ.* Idumæi sunt populi Arabiæ desertæ incolæ, ab Edon scilicet Esau descendentes, in tentoriis commorantes. Ismaelitæ Patrem habent Ismaelem Abrahæ filium, & sub tentoriis incerta sede pariter habitant. *Moab* est Regio in Arabia. Moabitæ descendunt a filio primogenito Lot. *Agareni* populi Arabes latrociniis dediti, ab Agar Abrahæ ancilla progeniti. *Gebal* stirps *Sobal* filii *Seir Amorræi. Ammon* populus descendens ab altero filio Loth. *Amalech* descendit hæc natio ab Amaleco filio Eliphaz, primogenito Esau. *Alienigenæ* populi Palestinæ Israelitico populo semper adversi. *Cum habitantibus Tyrum*, Tyrus celebris urbs maritima in phænicia.

Vers. 7. *Etenim Assur venit cum illis.* Assur idem est ac Sennacherib: qui fœdere inito

cum præfatis gentibus, meditabatur perdere Israeliticum populum.

Vers. 8. *Fac illis sicut Madian*: Regio vastissima in Arabia unde Madianitæ; & *Sissaræ* Sissara Dux Madianitarum sub *Jabin* eorum Rege fuit clavo Confossus a Jaele muliere Israelitica, eum insequente Baracco Duce exercitus hæbreorum. *Sicut Jabin in torrente Cisson*. *Jabin* Rex Madianitarum interemptus a Gedeone. *Cisson* torrens scaturiens e radicibus montis Thabor.

Vers. 9. *Disperierunt in Endor*. Endor civitas posita ad radices montis Thabor.

Vers. 10. *Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana*. Quatuor reguli Madianitarum, primi duo necati a bellatoribus tribus Ephraim, alii duo interempti ab ipso met Gedeone.

Psalm. 86. vers. 3. *Memor ero Rahab*: hæc est mulier per Josue ab internicione Jerocontina liberata, & hic per hanc mulierem designatur tota Cananæorum natio: *Et Babylonis*: per hanc civitatem hic tota Ægyptus exprimitur.

Vers. 5. *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea*. per li primus homo intelligunt expositores S. Joannem, Baptistam de quo dictum est, *Fuit homo missus a Deo*: & homo natus est in ea, & ipse fundavit

eam

eam Altissimus. Secundus hic homo est Verbum patris, caro factum, de quo testimonium perhibet Joannes. Li Sion significat Sinagogam cui Joannes anuntiavit adventum Messiæ. Significat Ecclesiam cujus lapis fundamentalis est Christus.

Psalm. 88. vers. xi. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum* : id est Pharaonem.

Vers. 13. *Thabor & Hermon* : duo mentes apud hæbreos celeberrimi, primus in Galilæa, secundus secus Jordanem, ubi Israeliticus populus sicco pede cum arca transiit. In primo transfiguratus est Christus, & Baptizatus ad radices secundi.

Psalm. 89. vers. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. ad texendam telam jugiter occupatur aranea, quam telam vel levis ventus dissipat. Quasi araneæ intenti sunt homines ad consequendos honores & divitias, que repentino evanescunt interitu. *Lyranus*.

Psalm. 90. vers. 3. *Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium* id est ab insidiis dæmonum.

Vers. 5. *Non timebis a timore nocturno*. Timores nocturni sunt phantasmata, larvæ, spectra a phantasia, vel a dæmone immissa.

Uers. 6. *A Saggitta volante in die*, hæc est tentatio superbiæ. *A negotio perambulan-*

 te

te in tenebris: ibi insinuatur tentatio de Luxuria quæ non lucem quærit, sed tenebras. Ab incursu, & Dæmonio meridiano, id est a validis tentationibus, quæ post vinum, & epulas impellunt ad libidinem.

Psalm. 100. vers. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, summo mane armis orationis oportet se præmunire contra dæmonum versutias.

Psalm. 103. vers. 12. *Expectabunt Onagri in siti sua*. Onager est Asinus silvester indomitus, in quo figurantur quicunq. sunt tumultuariis affectionibus exagitati, aberrantes a jugo divinæ legis.

Vers. 19. *Herodii Domus Dux est eorum*: Herodius est avis italicæ dictus *Griffo*, avis rapacissima parva, refugium herinaciis. Est hærinacius animal parvum, & spinosum, denotat ex Glossa interlineari minuta & quotidiana peccata.

Vers. 28. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*. Draco est diabolus, quem justi non timent sed contemnunt.

Psalm. 104. *Dixit & venit Cænomia & Cynifes Locusta & Brucus*: parva insecta quæ nutriuntur in pratis.

Psalm. 105. vers. 28. *Et initiati sunt Bebelfegor, & comederunt sacrificia mortuorum*. Behelfegor erat statua seu idolum a Nino Rege Assy-

Assyriorum Patri suo Belo consecratum: *Sacrificia mortuorum* id est carnes animalium Beelfegor immolatorum.

Verſ.32.*Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis*. Aquæ eductæ a Moyse in deserto *Sin* juxta Cades, dictæ fuerunt aquæ contradictionis, propter jurgia populi contra Moysen, & Aron.

Verſ.37. *Et immolaverunt filios suos & filias suas Dæmoniis*. Filii Israel eousq.insanierunt in cultu idolorum ut parvulos suos propriis mactatos manibus sacrificaverint.

Pſalm.106. verſ.20. *Misit verbum suum & sanavit eos de interitionibus eorum*. Interitio est infirmitas qua quis ducitur irreparabiliter ad mortem. *Ex Glossa Ordinaria*.

Verſ. 34. *Terram fructiferam in salsuginem*, idest in terram sterilem, salsugo enim est sterilitas, ad quam sal reducit terram ubi sal spargitur.

Verſ. 40. *Et errare fecit eos* (scilicet Principes populi) *in invio & non in via*, idest fecit eos deviare, a rectæ rationis tramite, invium quippe est locus ubi nullum apparet iter.

Pſalm. 108. verſ.23. *Excussus sum sicut locustæ*. Est comparatio fugacis vitæ humanæ, cum saltibus locustarum.

Verſ.29. *Et operiantur sicut Diploide confusione sua*. Diploides erat duplex pallium, quo

utebantur Hæbrei: utitur hoc termino ad exprimendam magnam confusionem eorum, qui coram Deo & hominibus facti sunt despectabiles propter opera sua prava, ita ut videri erubescant.

Psalm.109.vers.5. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: Melchisedech interpretatur Rex justitiæ, qui præfiguravit æternum Christi Sacerdotium.

Psalm.115. vers. 2. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*. David vehementer turbatus in bello contra filium suum Absalon, per excessum ita locutus est dicens: *omnis homo mendax*. *Glossa*.

Psalm. 117. vers. 22. *Lapidem quem reprobaverunt edificantes hic factus est in caput anguli.* David quem persequebatur Saul cum fautoribus suis, & volebat redactum ad nihilum factus est Rex Israel. Figura fuit Christi, qui condemnatus a Judæis, post Resurrectionem triumphans factus est caput Ecclesiæ militantis & triumphantis.

Psalm. 119. vers. 4. *Sagittæ potentis acutæ*: id est Verbum Dei est ignitum vehementer ad inflammandas animas ad amorem suum ne per vitia designata per carbones desolatorios, desolentur virtutes in animabus nostris.

Psalm.

Pſalm. 120. verſ. 6. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*. Alludit Propheta ad populum in deſerto.

Pſalm. 124. verſ. 5. *Declinantes autem in obligationes &c.* qui declinant a rectitudine fidei ad peccata, adducentur a Domino cum operantibus iniquitatem, ſcilicet, cum dæmonibus obſtinatis in iniquitate ſua.

Pſalm. 126. verſ. 5. *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Judices olim in portis civitatum audiebant litigantes; & miniſtrabant juſtitiam.

Verſ. 4. *Ita filii excuſſorum*: Fili excuſſorum erant juvenes deſtinati ad præliandum contra filios Iſrael.

Pſalm. 131. verſ. 17. *Paraui lucernam Chriſto meo*. Ideſt regiam dignitatem deſtinavi in familia David. Lucerna enim, ſicut & candelabrum accipitur in ſcriptura aliquando pro dignitate Regali, & etiam Sacerdotali.

Pſalm. 132. verſ. 2. *Sicut unguentum in capite quod deſcendit in barbam barbam Aron*. Literaliter intelligitur de unctione Summi Sacerdotis. Moraliter unguentum in capite eſt plenitudo gratiæ, quæ eſt in capite Chriſto Jeſu, & ſe difudit in omnes electos. Excludens ab eis omnem mundanam triſti-

tiam

tiam, quod exprimitur per sequentia verba. *Quod descendit in oram vestimenti ejus.* Idest justi & electi erunt ita perfusi spirituali gaudio & lætitia: ut nulla unquam valeat eos contristare mundana adversitas.

Psalm. 134. vers. 8. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Ventorum origo, & causa adhuc latet intelligentiam nostram, ideo exprimitur de ventis, quod Deus producat de thesauris suis. Mistice significat quod Mysteria Divinitatis, & fides usque dum vivimus in hoc seculo a nobis sunt incompræhensibilia.

Psalm. 136. vers. 1. *Super flumina Babilonis &c.* Totus hic Psalmus versatur circa adductionem populi Israel a terra sua, & ejus captivitatem factam præcipiente Nabuchodonosor Rege Babylonis.

Psalm. 139. vers. 10. *Caput circuitus eorum.* Saul intelligitur per caput, qui præibat circuitum eorum, qui falsis accusationibus criminabant David insontem, ut morti traderent.

Psalms 140. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Oleum peccatoris sunt verba adulatoria, quæ impinguant mentem superbia. *Glossa.*

Vers. 7. *Absorpiti sunt juxti petræ judices eo-*

Israel

rum. Moyses & Aaron judices populi Israel absorpti sunt, idest mortui antequam ingrederentur terram promissionis juxta petram in deserto *Sin*: in pœnam quod dubitaverunt de facta a Deo promissione circa præfatum ingressum.

Psalm. 143. vers. 8. *Libera me de aquis multis*. Aquæ multæ sunt tribulationes multæ, sunt pericula, a quibus petit David liberari, & de manu filiorum alienorum. Philistim eo quod essent idololatre dicebantur filii alienorum.

Vers. 14. *Eorum filiæ compositæ*. Quia ut pulchræ apparerent ornabantur.

Psal. 146. vers. 3. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Contritio sanat peccatores, & continet ne in ulteriora labantur peccata.

Vers. 4. *Qui numerat multitudinem stellarum*. idest electorum qui scripti sunt in libro vitæ. Et omnibus eis nomina vocat, disponens eis præmia secundum uniuscujusque merita.

Psal. 147. Juxta Salianum conscriptus & decantatus fuit hic Psalmus Esdræ & Nehemiæ temporibus, quando civitas Jerusalem reædificata fuit. Et reparatum Templum Domini.

Psalm. 149. Interpretatur hic Psalmus de extre-

mo

mo judicio in quo Sancti cum Christo tamquam armati gladiis contra reprobos, de eorum condemnatione, divinæ cohærente justitiæ exultabunt.

F I N I S.



